DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

COLICA PICTONUM.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
COLICA PICTONUM,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII

GULIELMI TAYLOR, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRÆFECTI;

NEC NON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

J. VENANCIUS PEREIRA,

LUSITANUS.

XXVI. DIE JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Me miserum! quid agam?
Strangulat inclusus dolor, atque exæstuat intus
Cogitur et vires multiplicare suas. OVID.

GLASGUÆ:

EXCUDEBAT J. SCRYMGEOUR,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

1807.

VIRO INTEGERRIMO,

CARISSIMO PATRI SUO,

A. RODRIGUES PEREIRA,

FUNCHALI, IN MADEIRA INSULA,

MEDICO SAGACI, PRUDENTI, FELICI;

TAM HUMANITATE, QUAM LITERIS ORNATISSIMO;

OB

CURAM IN SE PLUS QUAM PATERNAM,

HANC DISPUTATIONEM

EX ANIMO

D. D. DQUE.

FILIUS EJUS AMICISSIMUS

J. VENANCIUS PEREIRA.

VIRO EMINENTISSIMO,

A. CAETANO DE FREITAS,

FUNCHALI, IN MADEIRA INSULA,

MEDICO EXIMIO, CONSUMMATISSIMO;

DOCTRINA FERE OMNIGENA ORNATISSIMO;

NECNON

URBANITATE MORUM, ET HUMANITATE NEMINI SECUNDO;

OB

MONITA, IN REGENDIS STUDIIS, SANE OPTIMA,

NECNON

AMICITIAM IN SE COLLATAM,

HANC DISSERTATIONEM,

ANIMI HAUD INGRATI TESTIMONIUM,

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. DQUE.

AMICUS EJUS ADDICTISSIMUS

J. VENANCIUS PEREIRA.

ERRATA.

Pag. 40,	lin. 9,	*Pro* diglutitæ, *lege* deglutitæ.
45,	1,	*Pro* compressio ——— orta, *lege* compressionem ——— ortam.
50,	12,	*Pro* quorundam, *lege* quarundam.
52,	21,	*Pro* Antipasmodica, *lege* Antispasmodica.
55,	1, 2,	
58,	12,	
61,	23,	*Pro* histora, *lege* historia.
67,	6,	*Pro* intuere, *lege* intueri.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

COLICA PICTONUM.

PROŒMIUM.

1. ARGUMENTUM hujus meæ dissertationis præ cæteris aggredior, non spe equidem laudabili me aliquid novi tam multis impigrisque celeberrimorum auctorum adjicere laboribus. Pater meus carissimus, quantum me pœnitet! è diro hoc humani generis cruciatu crudelissimè afficitur. Quid igitur naturale magis, quàm ut ad morbum sedulò investigandum nunc transeam, cùm tempus demum venerit, quo sententias quoque meas in apricum proferre fas sit? Primum igitur fœtum ingenii mei etiamsi crudum

et indigestum ad aras tam digni *Patris* consecrare liceat.

2. De morbo, quo disserere statuo, multi egere auctores cum pristini, tum neoterici. Hi tunc fere omnes ei diversum nomen, ac si morbos diversos describerent, imposuere, et hoc plerumque omnibus commune fuit, ut à causis remotis nomen morbi peterent; unde Colica *Saturnina*, *Stercorea*, *Flatulenta*, *Serosa*, *Calculosa*, *Callosa*, *Verminosa*, &c. &c. Nomen autem (*Pictonum* scilicet) huic morbo præbere mihi potius placet, cùm quòd vetustius, tum quòd nihil de causis remotis statuit; præsertim cùm de causis remotis hujus morbi magna adhuc controversia sit. Minimè verò hanc pro morbi specie, ab illis aliorum auctorum diversam, haberi velim. Cur enim eidem morbo diversæ signentur species, quoniam à diversis causis morbus induci possit?

3. Priusquam verò de morbo disserere incipiam, à definitione exordiar, et demum quòd egregii, nunquamque non venerandi *Culleni* nomen audiam, definitionem ejus hic inseram.

DEFINITIO.

4. Colica (*Pictonum*) præeunte ponderis vel molestiæ in abdomine, præcipuè circa umbilicum, sensu; accedente dolore colico, primum levi, non continuo, et præcipuè post pastum aucto; tandem graviore, et fere perpetuo; cum dolore brachiorum, et dorsi, in paralysin demum abeunte *.

HISTORIA MORBI.

5. Quod morbi nostri primam originem attinet, multum adhuc disputatur. Satis verò superque constat Citesium medicum illum Pictaviensem, qui anno MDCXXXIX diatribam suam de novo et populari apud *Pictones* dolore colico bilioso vulgavit, in errorem incidisse, cum sese primum voluerit haberi, qui morbum annotaverat.

6. A remotissimis temporibus morbum, de quo

* Vid. Cul. Synop. Nosolog. Method. edit. vi. gen. lix. sp. ii.

hic agitur, cognitum fuisse clarè apparet, quia non solum observatus à Constantino Africano, à Paracelso, Fernelio, Holerio, Erasto, et aliis multis, sed etiam inter *Arabes* ab Haly Abate *, ejusque filio Avicena †, et inter ipsos *Græcos* tandem, ut nobis fidem faciunt scripta Pauli Æginetæ ‡: Riolanusque § observât populis *Lutetiæ* vicinis *Melodunensibus* jamdudum fuisse endemium, medicisque multò ante Citesium notum.

7. Hippocrates ipse, Medicinæ parens atque conditor, si sub hoc titulo morbum nostrum non descripsisse videatur, attamen passim in scriptis suis mentionem facit torminum alvi, dolorumque circa umbilicum, qui, testante Hoffmano, omnes ab eo Iliaci denominantur. Diocles Carystius ||, qui mox post Hippocratem scripsit, tunc dolores divisit intestinorum in dolores intestini

* Vid. Haly Abat. lib. totius Medicinæ, lb. 9. cap. 8.

† Avicen. Can. lb. 3. fen. 2. tract. 1. p. 514. et fen. 16. tract. 3. cap. 6. p. 834. J. Costæo. Interprete.

‡ P. Æginet. de Re Medica, lb. 3. calce cap. 18. p. 26. & cap. 43. p. 74. Guint. Andernaco. Interprete.

§ Joan. Riol. fil. animadv. in anat. Laurentii. cap. de Intestin.

|| Cels. de Re Medica, lb. 4. cap. 13. p. 161.

tenuioris quos χὸρδαψον, et plenioris, quos εἴλεον nominavit. Cassius postea ingeniosissimus ille seculi sui medicus, primus fuisse dicitur, qui ventris doloribus nomen *Colicæ* dedit. Contraque colicam se efficacissimum reperisse remedium multùm gloriabatur Cassius *. Ventris dolores, à Cassio primò *Colica* dicti, hocce servarunt tunc nomen auctoribus ei succedentibus sacrum. Tempore vero Celsi, qui seculo post Christum natum primo vixisse fertur, iterum invaluit opinio ex his, qui crediderunt duos dari in intestinis morbos signis certis distinguendos. Nam ut ait Celsus †, " Inter ipsa verò intestina " consistunt duo morbi; quorum alter in tenui- " ore, alter in pleniore est. Prior acutus est; " insequens esse longus potest. Diocles Carys- " tius tenuioris intestini morbum χὸρδαψον, pleni- " oris εἴλεον nominavit. A plerisque video nunc " illum priorem εἰλεὸν, hunc χωλικον nominari." Et hæc apud multos adhuc recepta est opinio.

8. Auctores postea multi, quos nos numerare

* Cassii Medicamentum. R. Anisi. Croci. Castorei. aa. p. iii. Petroselini. p. iv. Piperis et longi et rotundi. aa. p. v. Papaveris lacrymæ. Junci rotundi. Myrrhæ. Nardi. aa. p. vi. quæ melle excipiuntur.

† Vid. Cels. lb. iv. cap. 13. p. 161.

tempus locusque vetant, de morbo nostro verba fecerunt; donec Pictaviensis regius ille medicus Franciscus Citesius diatribam suam vulgavit. Si primus verò morbi observator Citesius reverâ non fuit, non est negandum eum primum fuisse, qui ex professo de morbo disseruit. Nomen quod hic posui (*Pictonum* scilicet) ei tunc præbuit, et hoc nomen semel acceptum postea retentum mansit. Nempe tunc *Armoricis*, *Sanctonibus*, *Englosmensibus*, totique *Aquitaniæ* æquè ac *Pictonibus* familiare fuit. Imò testante Droeto * sæviebat tunc in *Picardia*, *Moravia*, *Silesiaque* etiam et maxima *Germaniæ* parte.

9. Non multò post Citesium Rupellensis pharmacopœus nomine Beavallius in apricum protulit Gallicum libellum, in hoc autem nihil novi reperitur, et ut ait Tronchinus †, é diatriba Citesii vix aliud est quàm idioma mutatum. Auctoresque fere innumeri usque ad nostrum tempus, Britannicique pariter, de morbo nostro verba fecerunt. Neque horum aliqui iniquo Marte certaverunt. Quoniam verò neque limites, neque natura hujus mei opusculi de his omnibus

* Cons. Nova de Pestilentia, auctor. P. Droeto. calce cap. 5.

† T. Tronch. de Colica Pictonum, fine cap. 4.

singulatim me dicere sinit, eam argumenti partem dimittere liceat.

MORBI SIGNORUM ENARRATIO.

10. MISELLUS, quem dirus hicce cruciatus petit, primò persentire solet in regione Epigastrica ponderis, atque molestiæ, deinde doloris obtusi sensum. Locum verò, quem sævus morbus primò adoritur, inconstanter servat, modò umbilicum infra, vel supra, modò circa, vel ad latera, versùs ilia, et lumbos, modò demum per totum ventrem tyrannus hostis vagatur. Sæpius verò umbilicum circa se extendit dolor per transversum, ad instar cinguli utrumque cingens atque coarctans hypochondrium, et tam acriter circa umbilicum torquet, quòd miserandus patiens, vermis instar, quasi in arcum sinuatus, eheu! quoties et ego audivi, ejulatu suo totas expleat ædes.

11. Est autem, ubi dolor in uno loco stabilis hæret, tamque acerbè persentitur, ut quasi cultro seu terebello discinderetur corpus, exclamet æger, unde terebrans ab aliquibus appellatur dolor. Intestini partis cujusdam dolore aliquan-

do queritur æger, ac si filo circumducto constringeretur, vel pondere graviore superimposito premeretur. Umbilicus intus versùs trahitur. Abdominales musculi spasmo convelluntur, eorumque portiones carneæ in cumulos duros, subrotundos, circumscriptos colliguntur. Hypochondria adeò validè revelluntur, ut costarum nothorum cartilagines integumenta sua protendant. Abdominis demum inflatio tam renitens evadit, quòd timendum foret, ne umbilicus intestinis coercendis fere impar, ipsis egressum præbeat. An verò unquam à tali causa hernia umbilicalis acciderit? Ab auctoribus medicis exemplum nullum traditum video.

12. Quum ventriculus variis, imò fere omnibus corporis partibus consensum habeat, et quum intestinis, quæ eadem gaudent structurà, vixque ejusdem continuatio sint (ut in ranis videre est) hic consensus maximus sit, hinc in hoc morbo, quo intestina tam valde laborant, etiam ventriculus laborare planè debet. Neque aliter se res habent, sæpe in initio, quandocunque verò non nisi ingruente morbo, accedunt præcordiorum anxietas, cardialgia, tunc ructibus prægressis nauseæ superveniunt vomitus, levantes aliquandiu dolorem, quo miser ægrotus me-

liora sperare ducitur, sed statim recrudescunt ærumnæ, et in pejora ruunt omnia. Dolor mox recrudescens cum pari rursus anxietate crudelior factus, totum exagitat corpus, neque somno refici sinit. Si sumptus, ex materia sive solida, sive fluida confectus, cibus fuerit, exaugetur ventriculus, et statim fere post deglutitionem intenditur vomitio, neque ex ingestis tantum, seu ventriculi contentis, sed etiam ex contentis intestini duodeni, et aliquando canalis intestinalis omnis a recto ventriculum usque, unde materia biliosa, et aliquando excrementitia per os redditur, quod ultimum cum accidit auctoribus quibusdam morbum ileum (7) nominare placet.

13. Alvus tunc tam pertinaciter obserata perstat, quód sponte nihil, clysmatibus solicitata parum tantummodo dejicit. Fæces, quæ eliciuntur, nigricantes et viscidæ plerumque observantur, neque fluida forma, seu naturali, sed instar potius stercoris ovilli, vel caprini in scybala, seu globulos duros compactæ. Talique vi spastica introtrahitur anus, ut nisi vi aliqua sipho, quo enema adhibetur, introire nequeat.

14. Neque ita se res habent, quin ad itinera uri-

naria transferatur quoque strages, modò parcæ, et quasi guttatim, modò nimis plenæ urinæ redduntur, modò spissæ et rubræ, modò limpidæ evadunt, et adeò acres aliquando fiunt, ut nephritidem, dysuriam, vel calculum ipsum mentiri soleant: quam deceptionem dolor lumborum, ponderis aliquando in perinæo sensus, vomitusque confirmant.*

15. Intestina verò non solùm doloribus excruciantur, quin etiam imi ventris musculi et tegumenta, factum, ut manuum, aut stragulorum vel levissimum tactum reformidet æger. Cum verò evacuato ventriculo inquietudo sublevatur, (12) in hoc morbi stadio tactum explorantis digiti ventrem prementis æger bene perferre potest, et exinde aliquid levaminis suboriri putat; aucto veró dolore, tactûs impatientia rursus revertitur, tactumque iterum æger refugit. Compressa tunc si fuerit regio umbilicalis crudelissimi nascuntur cruciatus.

16. Inter tot tantasque machinæ perturbationes,

* Vide Spigel. de Feb. Semitert. lb. 4. cap. 14.—Cites. Diatribam, p. 170.—Huxh. on the Devonshire Colic, p. 6.—Sydenh. Oper. à G. Wal. vol. 1. p. 287—88.

mirabile dictu! arteriarum pulsus sæpè parum vel nihil mutatur, interdum verò frequentior, perrarò validior fit. Spiritus non bene trahitur, appetitus minuitur, sitit plerumque æger, lingua autem et fauces humore glutinoso obductæ, humidæ observantur. Hujus morbi pyrexia comes vel sequela rarissima est. Corpus emaciatur, sensimque marcescit, insignis animi dejectio accidit cum mœrore et suspirio. Tunc postquam altas jam morbus ejecisset radices, oculi fiunt concavi, et circulo livido circumdantur, minùsque fulgent. Vultus palescit, imò fere totius corporis cutis arida, colore plumbeo, et interdum subluteo icterode tincta videtur.

17. Pulsus fiunt tunc frequentissimi, respiratio difficillima adest, aucto scilicet abdominis sub inspiratione plena dolore, et motu diaphragmatis impedito. Omnis cibi appetitus perit, fractoque penitus robore æger vix sese sustinendo est, vel membra movere pollet, quippe cui vires, quæ artus regunt, deficiunt; quod morbi stadium pulchrè delineat Citesius. "Post aliquot menses (inquit) "sua artubus vi aliquantisper restituta, per vicos "veluti larvæ, aut arte progredientes statuæ, pal-"lidi, squalidi, macilenti identidem conspiciun-"tur, manibus incurvis, et suo pondere pendulis,

" nec nisi arte ad os et cæteras supernas partes " sublatis, ac pedibus non suis sed crurum mus- " culis, ad ridiculum, ni miserandum, incessum " compositis, voce clangosa et strepera." Sed neque clangosa et strepera solum vox fit, in Aphoniam verò aliquando quoque transit.

18. Pro malorum cumulo præter colicos, artuum urentes accedunt et etiam dolores, prius superiorum, inferiorumque denique. Sensim tunc leniores ventris dolores evadunt; artuum demum cruciatus in paralysin transit. Aliquando etiam prægressis sudoribus profusis super totum corpus erumpunt pustulæ rubræ, cum molestissimo pruritûs sensu, scalpendique cupiditate.

19. Artuum paresin multi medici olim invidere solebant, nempe qui judicabant eam esse morbi crisin. Nemo autem in arte medica peritus nunc tale judicat, minusque invidet, quia ventris dolores brevi revertunt, et miseros ægrotos quam unquam impensiùs dilaniant aut cum paralysi invicem alternant. " Quibusdam (inquit Clarus De " Haen) oborta paralysi sævus colicæ dolor remit- " titur, nonnullis autem omnino exulat, quamo- " brem allegatorum auctorum plurimi eamdem " censent colicæ *Pictonum* crisin. At vero per-

"peram sic censuisse reor; quum plures viderim "quibus post paralysin colica, qua olim sævitie "perennaret, aut, si quandoque recrudesceret "pauxillulum, mox ferox recrudesceret." Neque exempla desunt, quum morbus noster (ac *Proteus* formis revera adeo inconstans) artuum paralysi sese primùm manifestasset. Cujus exemplum apud Huxhamum legi *.

20. Pulsus denique frequentissimi fiunt, exiles interdum, parvitate vix percipiendi. Sudores largi, gelidi, frontem, collum, totumque demum corpus perfundunt. Aliquando periculi jam instantis præsagia, delirium mite, et frequens animi deliquium superveniunt. Dolor plerumque subitò evanescit; alvus funditur; extrema frigent; ungues curvi livescunt; digiti contrahuntur; au-

* "I knew (inquit Ill. auct.) a certain innkeeper attack-"ed in a truly surprising manner, for he almost entirely "lost the use of his hands and arms, though before "a strong man, antecedent to any other symptom of the "malady; nor did any come on for a day or two, only "that he seemed to be a little more languid than ordina-"ry; however, very soon after, both a vomiting and colic "seized him, and at length a rheumatic pain tormented "the paralytic limb." Vid. Huxh. on the Devonshire "Colic, p. 10.

res et labia frigent; exarescunt nares; tempora collabuntur; et mors tandem obrepit, miseriarum optata finis!

21. Sunt quoque mala chronica multa morbi nostri sequelæ, Convulsiones nimirum, Epilepsia, Apoplexia, Arthritis, Paralysis continua, et Contumacissimus Icterus. "In *Silesia* in Ducatu "*Toschinensi*, ait Sennertus *, anno MDCXXI in-"eunte vere grassata est epidemica, in Arthriti-"dem nonnunquam, sæpe in Paralysin aut Epi-"lepsiam abibat; Epileptici fere omnes morie-"bantur, emergebant Paralytici." Et ait Spigelius †, "quæ si diu nimis durat, ad tabem de-"ducit ægros, quam præcedunt, comitantur, "sequuntur Epilepsia, Apoplexia, Convulsio, "Paralysis."

22. Non semper verò exitialem finem morbus noster petit. Adhibitis idoneis medicamentis sæpissimè sanatur, ad salutem restituitur æger, et

* Vid. Dan. Sennert. Practicæ, lb. 3. part. 2. cap. 2. Colica. ab humore acri scrobutico.

† Adr. Spigel. de Febre Semitertiana, lb. 4. cap. 14. Vid. quoque Rosam. anglicam. cap. 20. Venet. MDCII.

ad omnia vitæ munera alacris, et vegetus, de his medicamentis verò mox locus erit dicendi.

INSPECTIO ANATOMICA.

23. QUANTUM ad veram pathologiam conducit cadaverum inspectio, eorumque præcipuè, quorum morbos, dum viverent, attenti consideravimus, quis sit, qui dubitet? Non mirum igitur ut idem Celsus de sibi præcedentibus auctoribus mentionem faciens jam suo tempore dicat. "Cum "in interioribus partibus et dolores et morbo-"rum varia genera nascantur, neminem putant "his adhibere posse remedia, quæ ipse ignoret. "Necessarium ergo esse, incidere corpora mor-"tuorum, eorumque viscera atque intestina "scrutari." Additque Celsus, quod atrox dictu! "Longèque optimè fecisse Herophilum et "Erasistratum, qui nocentes homines, à regibus "ex carcere acceptos, vivos inciderint, conside-"rarintque, etiam spiritu remanente, ea quæ "natura ante clausisset, &c." Et concludit, "Neque esse crudele, sicut plerique proponunt "hominum nocentium, et horum quoque pau-"corum suppliciis, remedia populis innocenti-"bus seculorum omnium quæri." Crudele ve-

rò satis foret, nisi necessitate vivorum hominum præcordia incidere, et mortuorum tantum corpora sedulò examinemus. Sed quàm incerta plerumquè hæc inspectio quoque sit, sapientes medici non ignorant, sed dolent. Et obiter dicam cum Claro De Haen. "Estque hic egregiorum "virorum perscrutandis cadaveribus solertissi-"morum frequens error, ut morbi causam sta-"tuunt id, quod præter naturam in iis detexe-"re; quamvis idipsum sæpius effectus sit, quam "causa morborum."

24. Cadavera tunc ex hoc morbo defunctorum scalpello anatomico exposita in intestinis exhibent mutationes reverâ insignes. In partibus quibusdam omnis intestini cavitas fere prorsus deletur, partis autem interpositæ intumescentia à fæcibus flatuque collectis, humerum vel femur ipsum amplitudine exæquaret. Interdum una tantum visa est angustia, quasi arctè circumducta filo, paulò superiùs autem intestini portio in immensam molem dilatata stomachum ipsum, vel intestina alia comprimebat. Tamque arctè interdum visa est angustia, ut hæc intestini tunicas excinderet, et excrementa alvina in cavo abdomine essent extravasata *. Et ex aeris conatu intestina rupta se

* Vid. Lond. Medic. Observat. vol. 4.

quoque vidisse inquit Ill. Hallerus *. Tenuia intestina aliquando bile porracea vel nigricante, aliquando verò materia glutinosa, raró purulenta scatent. Nonnunquam in tortuosa volumina intestina reperiuntur convoluta, singulis gyris fæcibus oppletis, anguli verò exinde oriundi prorsus vacui contractique, et jam distentionis adeo impatientes, ut se magis distendi vetent. Hujusmodi flexus duodecim in cadaveris cujusdam intestino colo se vidisse ait De Haen †.

25. Invenitur aliquando unius intestini portio in aliud subingressa, quod intussusceptio vocari solet; hujus exempla aliquot nobis tradita sunt à *Monroio* ‡ primo; observatque Cl. auctor, se judice, tales eventus frequentiùs accidere, quàm inter medicos creditur.

26. In iis autem acutis doloribus extinctis alia non minus notabilia discernuntur. Etenim cùm in intestinorum reduplicationibus inflammatio adfuisset, reduplicationes hæ sibi invicem agglutinantur, agglutinatæque reperiuntur. Ileum et Colon, morboso flexu contigua agglutinata fu-

* Vid. Elem. Physiol. vol. vii. p. 80.

† Vide De Haen. Rat. Med. vol. i. p. 87.—iii. p. 375.

‡ Phys. Essay. Vol. ii. art. xxvi. p. 315, 46, 47.

isse reperta per dissectionem apud Cl. Lieutaudt * legi. Auctorque nuper citatus de intussusceptione verba faciens, partis intussusceptæ intussuscipienti adhærentis tradit quoque exemplum, cui simile à Grangeot † in tractatu suo de Chirurgiæ operationibus alterum quoque datur. Et à *Monroio* ‡ secundo, cujus in Anatomiâ atque Chirurgia pupillum fuisse mihi summa laus est, descriptionem memorabilem traditam vidi de Volvulo, sive intestini portione in nodum convolutâ; memorabilem dico, quia hodierni anatomici dissectione versatiores tale accidere multùm dubitant, veteresque scriptores incusant, quia adeo frequenter Volvulorum historias describunt.

27. Cl. Piso § tunc jamdudum demonstravit in ejusmodi cadavere copiâ haud parvâ seri encephalon repleri, ubi cerebrum locatur, meningem totam madidam decoloratamque ad instar papyri adparere, et totum principium medullæ spinalis,

* Lieutaudt Hist. Anat. vol. i. p. 101.

† Grangeot. Traité des Operations de Chirurgie, lb. i. observat. 25. p. 382.

‡ Phys. Essay. art. 28. p. 368.

§ Vid. Car. Pis. morbi ventris inferioris à proluvie serosa, sect. iv. sp. ii. p. 294.

nervosque exinde oriundos in sero innatare. Aperto tunc cerebello non solum ventriculum quartum, sed et ejusdem substantiam ipsam prægnantem, totamque aquâ imbutam fuisse repertam.

23. Inveniuntur etiam in intestinis aliquando concretiones calculosæ, quas se multoties reperisse testantur Fernelius, Horstius et alii medici illustres, et puellæ historiam dat Ill. Simpsonius † Universitatis Sancti Andreæ professor meritus, quæ per sex annos è colica laboraverat propter calculum, quem per anum dejecit tandem. Et post obitum cujusdam cerevisiæ coctoris, ex ejus intestino cæco se duos extraxisse calculos inquit ipse auctor, quorum alter anseris, alter gallinæ ovum æquaret mole. Juvenis mentionem quoque facit *Monroius* ‡ primus de cujus intestino recto, se forcipis ope, tres extraxisse calculos, et duos alios sponte elapsos fuisse ait. Neque juvenis puellave, anteà colicâ miserrimè affecti, de morbo diutius postea laboraverunt. His calculis plerumque nucleus inest, veluti prunorum vel cerasorum ossicula, aut gallinarum agnorum-

† Edin. Med. Essay. vol. i. ess. xxxii. p. 241—44.
‡ Phys. Essay. vol. ii. art. xxvii. p. 345, 46, 47.

ve pedum ossa parvula, deglutita et similia, quos circumcirca colliguntur ramenta ciborum, et crustâ tartareâ obducuntur. Ex hisce concretionibus et ego multas multotiesque vidi et aliquot immensæ molis.

29. Neque sileam tandem Ill. Bonetum * anatomicum accuratissimum, qui in cadavere quodam post hunc morbum se observasse inquit magnum hepar et obstructum, vesicam felleam nigricanti bile turgidam, ventriculum humore viridi extensum, et colon demum flatibus fæcibusque oppletum; unde bilem pro morbi causâ haberi decrevit Ill. auctor.

RATIO SYMPTOMATUM.

30. Signis jam dictis (10. &c.) accuratè perpensis, necnon cadaverum dissectione, symptomatum ratio, seu, ut aliqui loqui amant, causa proxima videtur patere. Et hanc esse intestinorum partis cujusdam contractionem abnormem spasticam quis dubitare auderet? Quid verò magis optandum cùm in vivis amphibiis etiam per

* Vid. Bonet. Sepulchret. Anat. lb. i. obs. vi.

experimenta id Cl. Peyereus plenè comprobavit? Liceat igitur Ill. auctoris verba hîc inserere " Tor-
" minum (inquit) genesin, atque introsuscep-
" tionis conceptionem, anni superioris æstate,
" ranæ jucundo admodum et utili experimento
" oculis nostris exhibuerunt. Etenim intestina,
" vivente amphibio, lacessita in diversis locis,
" pertinacissmè mox se constringebant, conten-
" tis violenter sursum deorsumque, qua data
" porta, protrusis, atque hinc inde in cumulos
" quasi congestis: Unde quædam intestini por-
" tiones valdè impletæ ac turgidæ, quædam
" prorsus inanes et arctissimè clausæ perstite-
" runt; donec, soluta fibrarum structura, mea-
" tus liberior redderetur: intestinis autem hinc
" inde se constringentibus, et sive chylum, sive
" fæces, sursum deorsumve projicientibus, fac-
" tum, ut illæ alicubi in molem adgestæ parietes
" intestini plùs debito ampliarent; quod in sacci
" morem dilatatum intra se recepit constrictam
" inferioris intestini portionem, eamque sinu
" suo absconditam aliquamdiu retinuit: donec,
" fibris se denuo exporrigentibus, intestinum, è
" latibulo alterius, in apricam pristinamque sedem
" rediret.

31. Hoc experimento quid pulchrius? quo pro-

pius stes te capiet magis. Agnosco auctores multos non parvi nominis in errores graves aliquando incidisse, cum de experimentis in aliis animalibus factis, inde ratiocinia sua de physiologia vel pathologia corporis humani probare conarentur. Unicuique enim sunt proprii dotes, neque eâdem structurâ gaudent. Motus verò, de quo hic agitur, motus vermicularis seu peristalticus in omnibus animalium classibus, piscibus, avibus, et insectis visus est; et in ranis ipsis Cl. Hallerus * hunc demonstravit. Peyerianum experimentum tunc morbi nostri naturam egregiè illustrat. Sed quid magis desiderandum? cùm neque exempla desunt, quibus spasmodicæ constrictiones nondum solutæ post mortem in cadaveribus fuissent repertæ. "Novimus, inquit De Haen †, manere "quandoque perpetuò has contractiones, tetani "in modum, in vita hominum; à morte autem "vel solvi, ut aliis in tetanis vidimus, vel pertina- "citer permanere, ut alias biduo triduoque à "morte plus semel observavimus."

32. Causa hæc quoque quàm quævis alia symptomatum rationem meliùs illustrat. Signa

* Vid. Hal. Elem. Physiol. vol. vii. p. 81, &c.

† Rat. Medend. vol. iii. p. 186. Vid. quoque Philos. Transact. n. 476. citat. ab Hal. vol. vii. p. 78.

verò cuncta suprà posita, (10, &c.) hîc iterum repetere supervacaneum foret; de aliquibus igitur eorum tantùm disserere fert animus.

33. Dixi umbilici, musculorum abdominalium, et alvi introtractionem fieri, fæces forma scybalorum evacuari, (11 & 13.) urinas quasi guttatim et aliquando limpidas reddi. (14.) Quis tunc, nisi à vi spasticâ ea provenire fatebitur, horum redderit rationem?

34. Vomitus posui tunc biliosos et fæculentos aliquando. (12.) Vomitus reddi biliosos quid mirum? Novimus motum intestinorum ita inverti posse, ut alimenta, et succi omnes, qui in tenuiora intestina funduntur, sursum retrò ferantur; sunt quibus talis affectio familiaris est, sunt qui eumdem motum ad arbitrium inducere norunt, et sic ad instar bovis ruminari: in morbo verò nostro, quo descensus ciborum in parte intestinorum aliquâ impeditur, quid mirum, iterùm dicam, ut talis accidat inversio seu motus antiperistalticus, et per os revertat, quod ad rectum transire nequit? De vomitu verò fæculento difficilior est dissolutio, quia ante ilei ingressum in intestinum colon, cæcum enim vix pro parte hujus intestini habendum est, valvulam illam, in

genere quàmvis injustè Tulpianam dictam, sitam intuemur, factum, ut nihil a crassioribus ad tenuiora intestina revertere queat; injustè dico quoniam Nicolaus Tulpius hujus valvulæ non fuisset inventor. Posthius medicus Heidelbergensis ante annum 1566 primus valvulam *Monspelii* idera, de eâ tunc Vidus Vidius Fallopii meritus discipulus, et Constantius Varolius mentionem ecerunt. Caspar Bauhinus postea anno 15;9 valvulam examinavit, sibique laudem inventi tribuit. Anno 1589 in homine et in castore eam regurgitantibus sordibus obstare observavit Albertus. Postea tunc accedit Archang·lus Piccolhomineus, multòque ,osterior Nicolaus Tulpius qui verò eam accuratiùs examinavit*; hujus tunc valvulæ officio bene intellecto fæces unquam per eam posse regredi in ileum ab auctoribus multis disputatum fuit. Morgagnius†, quem veri amantissimum veneramur, dubitat anne unquam ii, qui fæces evomere dicuntur, fæces à colo remeantes evomant, seu materiam potiùs stercori similem, qualem se sæpe observasse inquit in iis, quibus ileum intra herniam arctè compressum atque occlusum erat supra

* Vid. Hal. Elem. vol. vii. p. 132.

† Morg. Advers. Anat. iii. Animad. 9.

occlusionis locum. Dantur quoque qui sibi fingunt intestina fæcibus oppleta esse posse ad ventriculum usque*. Tales verò sententiæ vix ac ne vix quidem laudandæ sint, novimus enim clysmata ipsa per anum injecta ad os remeare†, quamvis non sit disputandum in intestino ileo sæpe materiam non modo stercori similem, sed ipsam stercoraceam reperi, etsi hæc colo non remeasset. "Inveni aliquoties (ait De Haen‡) "scybala pauca, alia vice stercus liquidum "copiosius: Kalschmidius verò ad ulnæ a "colo distantiam usque repletum ileum." Ab hisce considerationibus, et præsertim ab experimentis in canibus institutis, Halesius et alii receptam opinionem de officio valvulæ coli evertere tentarunt. Nempe Halesius elotis fæcibus in rectum canis inseruit instrumentum idoneum, tubus scilicet productior, cui ad altitudinem quinque pedum infundebatur aqua, et animadvertit aquam in intestina tenuia guttatim illabi. A tali experimento vix aliquid quoque concludi potuisset, quoniam intestinum colon in canibus

* Hal. Elem. tom. vii. p. 93.

† V. Swiet. Comment. in Boerh. aph. 960. De Haen. part iii. 991—95. Vindob. 1609. et multos alios.

‡ De Haen. Rat. Med. vol. ii. p. 303.

et aliis quibusdam animalibus diversa structura gaudere Celeb. Morgagnius* jamdudum demonstraverat; in cadavere verò humano et in ipso vivo homine, repetito à De Haen experimento idem adparuit: autem nihil habet à consuetudine naturæ adeo alieni ut multâ aquâ valvulâ laxatâ à crasso intestino in ileum adeo tenue liquidum viam sibi aperiat; nondum igitur datur ratio, quomodò fæces in ileum regrediantur; et altera adhuc explanatio quærenda est talibus controversiis minùs obnoxia; hanc tunc, ni fallor dant Haguenot† et De Haen‡; observant Ill. auctores intestina fæcibus flatuque distenta efficere, ut valvula officio suo fungendo impar evadat, et hoc cadaverum quoque inspectiones confirmant. "Nam, ut inquit Heisterius§, experientiâ edoc-
" tus sum in nonnullis cadaveribus illas valvulas
" sive natura, sive morbo quodam tam laxas et
" debiles fuisse, atque tam facilè cessise, ut fla-
" tum per Colon immissum sine ruptura trans-

* Vide Morg. Advers. Anat. 3.

† Hag. Dissert. de vomitu fæculento in passione iliaca. Monsp. 1715. p 60.

‡ De Haen, vol. i. p. 90. ii. p. 304.

§ Laur. Heister. Dissert. in Hal. Disputat. Anat. Select. vol. i. p. 566.

" miserit ad Ileum." Quod Spigelius, Bartholinus, Highmorus, et alii observarunt.

35. De colore icterode tandem hic tantùm dicam. Icterodem colorem à contractione intestini duodeni fibrarum musculosarum provenire judico, aiunt verò auctores ductum ipsum Choledochum spasmis torqueri, sed talem opinionem rejicio, quia non constat ductum tunicâ aliquâ musculari instructum esse: contra novimus, dissectioque demonstrat, per spatium aliquod ductum obliquè transire inter tunicas intestini externam muscularemque, priùsquam in intestini cavum hiet: Si valida igitur contractio intestino acciderit spasmodica, ductus ipse inter ejus tunicas comprimetur, ductuque compresso descendenti bili denegatur exitus, unde color icterodis. Hæc mea est opinio, et recordor Ill. Professorem *Jeffray* anatomicum apprimè subtilissimum accuratissimum, eodem modo rem nobis explanare in prælectionibus suis academicis, quas audivisse glorior.

CAUSÆ REMOTÆ.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas. VIRG.

36. In hoc capite non desunt controversiæ,

auctor s enim aliqui* suspicantur solum plumbum pro verâ morbi causâ habendum esse, moreque solito ad opinionem suam tuendam ingenuitate maximâ philosophantur; et magnam impenderunt curam in perscrutando examinandoque quàm multis modis venenum plumbi, quin neque suspicioni detur locus, corpus humanum inire queat. Ex eorum experimentis consectaria sunt reverâ fida; dari enim Colicæ speciem, quæ à veneno plumbi induci potest, nemo disputabit; meritò igitur hanc Colicam *Saturninam* nominavit Junckerus, *Plumbariorum* Ramazzinus; *Rachialgiam Metallicam* Astrucius et Sauvagesius; *Millreek* Wills; *Figulam* Du Bois, &c. Sub titulo verò Colicæ *Pictonum* intelligendus est morbus, qui apud *Pictones* sicut et apud multas alias gentes (8.) grassatus est, et qui à multis aliis causis induci potest: porro à Colicâ auctoris Cassii (7.) nihil differt, nisi quòd à Citesio meliùs fuerit investigatus, et ab eo nomen Colicæ *Pictonum* (8.) tunc acceperit. Argumentum quod attinet Colicam *Pictonum* semper comitari artuum

* Vide Baker's Enquiry, &c. Lond. Med. Trans. tom. i. p. 175. Vide quoque, p. 257, & 364. Additional observations, tom. iii. p 407. John Hunter's Experiments upon Rum, to ascertain the cause of the Colic among the soldiers in Jamaica, ibid. p. 227.

paresin ac Colicæ speciem illam, quæ à plumbo oritur, est parum accuratum; viri* enim praxi in hoc capite innumeras observationes suppeditante versati affirmant, se nunquam paralysin esse Colicæ *Saturninæ* sequelam observâsse: et non desunt exempla cùm à Colicâ ab aliâ quâvis causa, puta frigore, inductâ artuum paresis fuisset insecuta. Sed non ultra progrediar, quæstionem relinquens illis, qui disputare magis ament. Alii† verò res alias multas pro morbi causa non tantùm admittunt, sed unicuique harum propriam quoque medendi methodum signant, ac si varias seu diversas morbi species efficerent.

37. Opinionem primam, plumbum scilicet tantùm pro morbi causa statuere, ut jam dixi, rejicio. Distinctio verò talis, qualis à Tronchino reddita, minùs adhuc placet; mihi autem meliùs videtur causas tantùm dividere in Prædisponentes Excitantesque, et has separatim considerare.

*Vid. Leightons apud Clark on the diseases which prevail in long voyages to hot countries, particularly the East Indies, &c. vol. ii. p. 399.

† Tronch. de Colica Pictonum.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

38. ALIORUM morborum, qui spasmodici dicuntur, ratione habitâ, hujusque causâ proximâ contemplatâ, (30, et seq.) quid à priori alicui occursurum est? Certè illos præsertim homines è Colica laboraturos, quorum fibræ musculares nimis sentientes sunt, et mobilitate nimiâ tremiscunt: nempe quia habitus corporis nimis sentiens et nimis mobilis spasmis opportunos reddit: hinc malum fœminis, debilibus, luxuriosis, desidibus, sanguine plenis familiare. Datur causa altera ad morbum nostrum proclivitatem maximam gignens; intestinorum scilicet torpor, qui cùm languidè et imbecilliter intestina tum se astringere, tum se relaxare efficiat, stercus permittitur intus remorari, unde partes tenuiores absorptæ, tam multùm durescat, ut vel difficillimè vel nullo modo excerni queat: unde spasmis inductis Colica pertinacissima oritur: malum eò magis metuendum et sanatu difficilius, quòd solitis naturæ viribus deficientibus, neque corpus ipsum quidquam conetur, neque remedia alioquin efficacissima multum juvent. Concretiones demum calculosas, partisve intestinorum alicujus præter

naturam angustias, quæ vel gradatim aliquando superveniunt, nullo morbi præeunte signo, vel inflammationem malè curatam sequuntur *, hic quoque ponere possum, nempe quia eodem fere modo nocent.

39. Hæ tunc res sunt, quas ad morbum nostrum prædisponere judico, neque argumenta deerunt, quæ opinionem meam confirment. Infantuli primò, qui maximâ mobilitate gaudent, dolore nostro oppressi plerumque pereunt; neque mirum, si morbo procliviores non sint, quàm adulti, nempe quia infantuli intestina habent, ac alias corporis partes laxiora, deinde fluidis abundantia, unde potiùs alvi proluvie, quàm colicâ laborant. Inter pueros familiaris est morbus, fœminæ quàm viri, non secus ac mobiliores, morbo quoque procliviores esse solent. Viri denique, qui maximâ mobilitate gaudent, qui sunt luxuriosi, desides, neque ut decet se exercitantes, victuque pleno opiparo utentes: vita enim otiosa ventriculum et intestina multùm infirmat, torpetque, fibrarumque musculosarum conditioni illi, ex quâ mobilitas pendere videtur, multùm favet.

* Vid. De la Peyronie, act. academ. chir. Paris, tom. I.

Sic Carolus Piso*, Nicolai filius, jussus a Cardinali *Lotheringiæ* anno MDXCVI, ut Coenobii *Belliparti* Religiosorum valetudinem exploraret, multos se vidisse ait, qui abdominis cruciatibus vexatos esse, tantoque alvi stupore, ut nihil prorsus ejicerent. Et post septennium aliud Coenobium adiret, similia iterùm observavit; Iidem in Monasteriis se sæpe observasse affirmant Wepferius † et alii medici illustres. Observandum tunc est Religiosos patres præcipuè illis temporibus vitam desidem et otiosissimam plerumque degere, in cubiculis suis diu noctuque vix ac ne vix quidem studiis adhibitos, victuque generoso gaudere fruique, et rectissimè observat Ill. Piso, "ex "his soli Religiosi Presbyterii, et sui juris, qui-"que lautiore victu uterentur, iis obnoxii vive-"bant, cum adolescentes, quibus parciùs aut "nullius vini usus concessus esset, prorsus sani "degerent." Quamvis non solùm vini concessui, ut Ill. Auctor existimavit, mala Religiosorum Presbyterorum tribuenda sunt, sed et victui lautiori, quo uterentur, et vitæ sedentariæ, quam degerent. Quod (ut Cl. *Gregorius* ‡ docet)

* Vid. Carol. Pison. Select. Observat. et Consilior. liber singularis, sect. iv. cap. 2.

† Joan. Jac. Wepfer. Hist. Apoplect. hist. 13.

‡ Vid. Greg. Conspect. vol. ii. p. 48.

"si libræ duæ boni panis fermentati, cum tri-
"bus libris lactis vaccini in die, sat fuerit ad a-
"lendum hominem sanum et validum, et multùm
"se exercentem, perspicuum est, dimidiam, vel
"fortasse tertiam partem istius quantitatis,
"nimium futuram pro ægro, debili, ignavo et
"lecto quasi affixo, tamen tantum et amplius
"sæpe assumitur ab ægris, qui credunt se victu
"tenuissimo uti!"

40 Autem quamvis vitam otiosam non degant ad hunc morbum tamen valde proclives fiunt homines à naturâ ipsâ ventriculis imbecillibus instructi, qui à vitiis pravæ concoctionis fere semper laborant, alimenta, quæ capiunt, vel statim rejiciunt, vel si intestinis ea tradita fuerint, veluti pondere intestina gravantur anxietatemque facessunt; et eheu! ni fallor, nihil aliud ad dirum morbum adeo proclivem efficit amabilem *Patrem* meum, quia paucos esse judico, qui de ventriculo magis laborent, et nemo tunc è Colicis doloribus magis afficitur.

41. Hypocondriaci tandem qui de infirmitate ventriculi fere semper laborant, et quibus alvus tarda plerumque est, è doloribus intestinorum frequentissimè afficiuntur. Post has observa-

tiones tunc de causis prædisponentibus, quas opinionem meam satis probare judico, ad excitantes transire juvat.

CAUSÆ EXCITANTES.

42. Ad causas excitantes nunc cùm venerim, in his recensendis à veneno metalico plumbi incipiam, sive edulcatum lithargyro vinum, sive aqua cerussâ impregnata, sive demum subtiles particulæ diglutitæ fuerint. Et post tantas à tamque eminentissimis philosophis æquè atque medicis observationes ad hoc probandum factas, quis dubitaret, plumbum dolores nostros reverâ excitare posse? Observationem verò vel experimentum unum præ aliis hic inserere supervacaneum foret, ad auctorum igitur opera jam citata (36) lectorem benevolum relego. Observatu veró dignum est, quod sicut humana gens, et etiam animalia bruta eodem modo infestari; minusque aquarum incolæ *(pisces)* furore ejus immunes evadere videntur; sed neque per aëra volitantibus avibus pepercerit*!

Vid. Ilseman. Dissert. de Colica Saturn. in Haller. Disput. morbor. vol. 3, p. 314. Percival on the poison of lead, p. 24, 25—35. Wills' account of the Millreek. Phys. Ess. vol. 1. p. 461.

43. Post plumbum ad frigus transeam, et hoc præsertim si cum humore pedibus admotum. Frigus magna vi in spasmis intestinorum inducendis pollere satis constat; scilicet humor excrementitius perspirabilis ad partes internas visceraque expulsus acrimoniâ suâ humores glutinosos papillas nerveas defendentes inficit, unde irritatæ spasmos potenter inducunt; pertinacemque Colicam hâc causâ ortam et ego plus una vice observavi; si autem ad hoc testandum observationes à peritioribus institutæ necessariæ fuerint, in Sanctorii arte suâ staticâ ad servandam restituendamque sanitatem, et in Tronchini libello de Colicâ *Pictonum*, lector plurimas invenerit.

44. Ad res alimentarias nunc veniam, et unicuique perpendenti cibaria varia, quæ ad corpus alendum, vel gratè adficiendum assumuntur præsertim ab iis, qui aureâ mediocritate spretâ per terras, maria, cœlumque profundum, quid gulæ placeat, avidè quærunt, ei planè patebit plura ex his non nocere non posse. Imprimis nocet ciborum copia nimia, quam helluo ingurgitat, assis elixa miscens, languentemque appetitum condimentis denuò ad ingluviem incitans, et cœnâ demum dubiâ se nimis indulgens. Quid minus expectandum foret? Tanto oneri digeren-

do ventriculus impar evadit, copiam sic ex crudis cibis intestinis tradit, quæ gravantur; ingesta naturâ suâ diversa suas subeunt mutationes, totaque massa nimis citò et vehementer fermentescit, materia sic acris oritur, quæ intestinorum humores inficiens spasmos validos ciet, quin et intestina plurima materiâ acri distenta et irritata, ad novos et validiores motus incitantur, qui, si obstructionem superare nequeunt, insignem dolorem inducunt, et tormina, et Colicam demum confirmatissimam importunissimam.

45. Præter copiam verò nimiam devoratam cibaria multa etiam indole nocent. E *melonibus* atque *cucumeribus* solis comesis Colicam ortam fuisse auctores aliqui affirmant, et è cucurbitâ cum oryzâ pro cœna sumptâ idem semel observavi. Nempe non multò post cœnam cum anxietate oppressus fuit patiens, cui supervenit vomitio, tum aliquid levaminis se experiri, atque ad somnum pronum esse dixit, sed ventris accedunt dolores immanes, et tandem confirmata Colica curandi difficilima, quæ per totam noctem miserum ægrotum crudeliter dilaniavit. Omnia tunc, quæ ad nuceum genus pertinent, nucibus pineis fortasse exceptis, scilicet nuces juglandes, avellanæ, amaræ, græcæ, vel castaneæ, quæ diffi-

cillimè dissolvuntur, et eorum amylum præ tenacitate, quâ pollet, humectatum aptum fit, ut intus remoretur, et durescat igitur, valde nocent. Nuces verò quod attinet magna inter has datur differentia secundum regiones, ubi hæ cultæ fuerint. Scilicet in regionibus calidis, ut in *Lusitaniâ* vel *Hispaniá* hæ præsertim pineæ tantum habent olei, ut castaneas si excipiamus, quæ valdè farraceæ sunt, potius credamus has alvum posse laxare, quàm astringere. Neque hoc dico sine aliquâ experientiâ, quin et Ill. *Millar* vir solertissimus idem meritò observavit, cum de diætâ verba nobis faciebat. Legumina multa, quæ, testante Halesio, aëra plurimum continent, uti lentes, pisa, et fabæ pessimèque concoquuntur; hæc autem dum tenera et viridia tutò comedi possunt, et ipsis ægrotis sæpe permittuntur, cum verò maturescunt et farracea fiunt difficillima concoctu pessimaque evadunt; Saccharata, quæ fermentationi favent; Fructuum avida ingurgitatio, præsertim immaturorum; Potus non defæcati, vel probè fermentati; Austera acida, vel maturorum fructuum nimius usus, ut Piso, Citesius, Crato, Chalmerus et alii volunt; Semina cerealia dicta non bene fermentata; Panis ipse recens è furno vix sublatus nimiâ copiâ devoratus, cujus medulla cum fluidis ventriculi vel intestinorum inflare

solet, et in substantiam tenacem redigi; Pressum lac, seu quod vulgò caseus dicitur, isque præsertim tostus cùm propter insignem tenacitatem, tùm quoque propter oleum suum ustum et frixum, quod difficilè concoquitur; Carnes duræ factæ fumo, vel sale diu conditæ, vel demum suâ naturâ, macræ, duræ, et præsertim si assæ; Pisces saliti vel sole arefacti; Ex testaceis pulveribus demum pro medicamento diuturnus usus, qui alvi adstrictioni favent, et cum muco ventriculi intestinorumque concrescunt: et alia fortasse bene multa ex rebus alimentariis in corpore præsertim jam proclivi morbum posse ciere non dubitandum est.

46. Sed neque solum qui ingluvie sibi nimis indulgent, vel parum idoneis cibariis utuntur, criminis indulgentiæ suæ poenas pendunt. Quod autem miserandum magis, multi quin ingluvie sive dubiâ diætâ peccent, cibaria contra idonea sibi ministrantes, neque ea digerere ventriculis suis placet, et æquè ideo plectuntur. Quid crudelissimum magis, audi me amantissime *Pater!* à levi cœnâ sæpenumerò immanem Colicam quoque ferre.

47. Morbum quoque inducere, vel ciere posse constat, stimulos vel farctus medullæ spinalis,

veluti hujus compressio à variis causis orta, à depresso vel fracto osse, à tumore, à collecto sero, &c. Ea tantùm Astrucii opinio fuit, ut strenuissimè contendat Rachialgiam non Colicam dolorem appellandum esse, nimirum quia medullæ spinalis, inquit, esse morbum. Ill. auctori verò respondeam symptomata in doloribus ab hac, ac ab aliis causis provenientibus semper eadem fuisse observata: 2 do, Stimulos medullæ spinalis in morbo inducendo operari simili modo, ac aliæ res sive causæ jam dictæ (42, &c.) scilicet per spasmos, quos inducunt, utrumque tandem iisdem prorsus remediis sanari, si in typo tunc et sanatione morbi simillimi sunt, dari Rachialgiam genus à Colicâ diversum concedere non possum, et vix dicamus eam esse Colicæ speciem à causâ remotâ sui generis originem ducentem, sed nunquam à Colicâ separari licebit. Mihi quoque videtur animi pathemata, iram scilicet, mœstitiam &c. morbum nostrum inducere, quod satis superque constat, non solùm propter impeditam exinde concoctionem, sed etiam per stimulum suum in genere nervoso, quo multùm pollent, quoniam hæc aliquando morbum statim inducant.

48. Colicam quoque in pueris excitare dicuntur vermes in intestinis hospitantes. Et Ill. Pi-

so, mirabile dictu! ait semetipsum sæviente *Boreâ* immanibus colicis doloribus semper fuisse vexatum. Judicantque auctores multi febrium reliquias, præcipuè si non bene curatæ fuerint febres, vel nullâ excretione solutæ, in colicos dolores degenerare, sive morbi causam veram excitantem esse posse, scilicet eâ opinione sunt Fernelius, Balonius, Spigelius, Piso, Tronchinus, idemque Citesius, &c. &c. Hernia tandem intestina irritans, inflammans, alvumque constipans gravissimis colicis sæpissimè originem dat. Sæpe autem malum consuetudine ingravescens levioribus causis excitatur, parum cognitis, neque reverâ facilè observandis.

DIAGNOSIS.

49. Unicuique videretur morbum tam multis symptomatis stipatum, vix cum aliis, etiam ab imperito medico, confundi posse. Attamen aliter se res habent, morbi nostri diagnosis aliquando dubia difficilisque fit, neque medici multi non errarunt in diagnosi incautè pronuntiandâ; de eâ igitur meritò disseram, et quodcumque scio, vel legerim, hic libenter proferam.

50. Nephritis imprimis cum morbo nostro commune habet abdominis dolorem, vomitus, itinera urinaria turbata, et alvi tandem stipationem. Neque similitudo reverâ haud parva est, quin Galenus ipse et alii medici in morbis distinguendis hæreant, diesque aliquot consumant. Autem hos inter morbos distinctio est non obscura. In nephritide dolor est uno loco stabilis, scilicet in regione prope renem, qui ureteris iter sequitur, obliquè vesicam versùs se extendit, et in viris ad testiculum usque, qui retrahitur, sæpeque reconditur; crus demum ejusdem lateris plerumque obtorpescit, urinæ quoque sabulosæ, et aliquando sanguinolentæ redduntur. Rarò autem in Colica dolor est in uno loco stabilis (10,) sumptis cibis vomitio et dolores intenduntur (12,) in Nephritide verò potiùs leniuntur *, alvus pertinaciùs adstricta est, et urinæ tandem nunquam sabulosæ redduntur. Ab Hepatitide tunc faciliùs adhuc discernitur, nempe quia tussis sicca, dolor ad claviculam summumque humeri dextri, in sinistro latere difficilis decubitus, et in regione hypochondriacâ dextrâ tumor circumscriptus, morbi naturam attento medico planè indicant.

* Vid. Piso. sect. iv. sp. ii. p. 276. Vid. quoque Sydenh. process. integ. à G. Wal. p. 440. vol. ii.

51. A Cholerâ, Diarrhœâ, Dysenteriâque morbus noster semper distingui potest, quamvis cum his aliquid quoque commune habet. Choleræ enim et Diarrhœæ dolores non adsunt adèo permanentes, minùsque adeo vehementes ac Colicæ, et in priore biliosæ, posterioreque liquidæ alvi dejectiones ab initio eliciuntur. Dysenteria tunc ob excretiones modò mucosas, modò sanguinolentas vel membranaceas pro morbo nostro nunquam sumi potest, et Dysenteria plerumque fortasse semper per contagionem oritur.

52. Enteritidem verò inter et Colicam differentiam signare hic labor, hoc opus est. Utrique abdominis dolores adsunt circum umbilicum torquentes, vomitus, alvus pertinaciter adstricta, et ut tandem difficilior res evadat, pulsus neque, ut in aliis morbis inflammatoriis, pleni vel duri fiunt, sed parvi et debiles aliquando observantur. Peritus igitur solersque medicus ad res vel minutissimas animum debet attendere: observandus est si dolores sunt acuti, urentes, non obtusi (10,) si permanentes, et si pressu semper immaniter augentur (15,) si morbo præcesserunt horror atque rigores, si pyrexia adest, quæ res, si accuratè observentur, jure colligatur intestina inflammatione tentari.

PROGNOSIS.

53. Nihil in medicinâ adeo desiderandum, famamve sagacis medici magis illustrat, quàm Prognosis feliciter instituta. Fortunatus qui advenientia prævidere, vel in rebus incertis certi quid futurum prænunciare potuerit! A primis igitur temporibus medici peritiores non secus ac morborum signa, horum quoque illa, quæ morbum brevem aut longum, sanabilem aut insanabilem demonstrarent, observare curarunt, et signa talia, qualia multò sæpiùs, multòque pluribus ægris respondere solebant, ex his Prognosin statuerunt; haud verò est negandum conjecturas has aliquando, non raro, fallere, medici prudentis igitur semper erit, ut in rebus dubiis cautè Prognosin prænunciet.

54. In morbo tunc nostro scire juvabit boni ominis signa esse, si ab initio morbi dolores fuerint lenes, vagi, necnon remittentes, musculorum abdominalium spasmi mites facilè superandi, alvus haud pertinaciter adstricta, sed idoneis remediis respondens, artuum si accederint dolores, sint lenes ab-

dominisque cruciatus permananter mitescant, cutis demum sudore generali et calido madida, seu pustulæ benignæ erumpentes. Auspicia infausta contrà sunt dolores permanentes fixi ægrum absque ulla quiete excruciantes, alvus pertinacissimè adstricta, neque fortioribus medicamentis respondens, vomitus constantes, ingesta ac sumpta statim rejecta, corpus multùm marcescens, vox debilior evadens, vel penitus extincta, dolores artuum immanes accedentes, levantesque ventris cruciatus per temporis punctum tantùm, animi deliquia, sudores quorundam tantùm partium tenaces gelidique, respiratio difficillima facta, et ei succedentes tinnitus aurium, tenebras oculis effundentes nubeculæ, scintillive micantes: Vomitus stercoraceus pro mortis certissimo signo habetur tunc, sed exempla quoque, quæ contrarium demonstrent, non desunt, nempe quia postquam fæces clysteresque ipsi per os erant evomiti, ægri nonnulli ad firmam adhuc valetudinem fuerunt restituti *; atrophia demum cres-

* Vid Bonet. Sepulchr. anatom. lb. iii. sect. x. Ejusd. Med. Septentr. tom. i. lb. iii. sect. 15. c. 29—30—32. Gareng. Acad. Reg. Chir. Paris, in. 8. edit. tom. i. part iii. p. 355. De Rueff. apud De Haen. p. iii. p. 94.—95. Vindob. edit. MDCLX. hist. filii sui, quæ mox hic quoque

cens, aphonia, dyspnœa, cœcitas, motus epileptici accedentes, sive dolores in gangrænam transeuntes, unde subitò evanescentes, lethargique successivi mortis prænuntii, cum nulla salutis jam restat spes!

METHODUS MEDENDI.

Nulla in re propius accedunt homines ad Deos, quam salutem hominibus dando. Cic.

55. Ad argumenti mei utilissimam partem nunc ordine transeo. Si autem in parte aliquâ fuerunt controversiæ, in hâc sunt quamplurimæ. Dum enim auctores alii suas conantur totis viribus sancire sententias; alii has rejiciunt, sibique novas assumunt, sed eheu! æquè ac priores hi luunt pœnas. "Hinc (inquit Cl. *Gregorius* *) "suas quodque seculum *Theorias* medicas vidit; "superioris jam seculi opiniones et nos haud immeritò nunc ridemus, proximo forsitan ævo "vicissim ludibrium daturi."

tradenda est. Chalmer. Dis. of South Carolina, lb. ii. p. 38.

* Vide Greg. Conspect. vol. 1. Auditoribus suis, p. 25.

56. Medendi methodus, quam hic suadere volo, quatuor absolvitur indicationibus. Imprimis dolores intestinorum cùm vehementiores lenire, quin ad morbi causam specialem animum attendamus. 2do. Intestinorum solvere constrictiones spasmodicas, quas morbi symptomatis originem dare probavimus (30, &c.) 3to. Exsolvere alvi stipationem. 4to. Demum partes affectas ad pristinam valetudinem et vigorem restituere. De his indicationibus tunc disseram ordine, celebriorum auctorum sententias, eorumque inter se controversias exponam, et opiniones illas, quæ mihi præferendæ visæ fuerint, perspicuitate probare conabor; quin verò in quæstionibus hujus generis, quibus celeberrimi artis salutiferæ magistri sententias tam oppositas amplexi sunt, inter eos audeam componere lites. Neque hoc ad propositum meum necesse judico.

57. Remedia autem primùm liceat ordinare. Remedia tunc, quæ 1mæ respondent indicationi, sunt Anodyna. 2dæ Antipasmodica 1. Externa. 2. Interna. 3tæ Laxantia, Purgantia, seu Remedia mole sua mechanicè operantia. 4tæ demum sunt Tonica, et Stimulantia.

58. Qui morbum hunc attentè observaverit

dubitare nequit quàm necessarium plerumque sit, nullique alii indicationi postponendum, ut immanes cruciatus, quibus torquetur miser æger, leventur. Res verò una tantùm primò consideranda sese offert, nimirum si Diathesis Phlogistica adsit, tunc priusquam narcotica dare fas sit, secanda est vena. Neque solatium non magnum exinde experiri solet æger. De Venæsectione tunc primò auctores verba facientes opinione multùm differunt. Dum alii, sicut Cl. Astrucius * laudant extolluntque tantùm, ut dissertatione sua Cl. Auctor dicere non vereatur, " Quid in utroque morbi stadio nullum datur " certius præstantiusve auxilium." Unde concludit—" *Ergo Colicæ Pictonum Venæsectio in cubito.*" Alii contra eam vituperant, condemnantque. Unde, sicut Ill. Du Bois †, concludunt " *Non ergo Venæsectio.*" Horum auctorum sententiis accuratè perpensis, ad tertium judicium veni. Venæsectionem laudo suadeoque, sed non, ut inquit Astrucius, in utroque morbi stadio, in initio verò tantùm, et si Plethoricus fuerit patiens. Hæc quoque Nob. Huxhami post long-

* Vid. Astruc. Dissert. in Haller. disput. morbor. lb. 3. p. 876.

† Ibid. Dissert. Du Bois. p. 291.

am observationem opinio fuit, qui solitâ honestate et æquanimitate (quas laudare quàm imitari plerique malunt) errorem suum candidè fatetur. Nob. auctoris verba, quæ adeo graphicè sententiam nostram illustrant, operæ pretium judico linguâ vernaculâ hic inserere *. *I confess indeed, that, before I was thoroughly acquainted with the nature of the disease, I ordered some to be bled, with a view to abate the excessive violence of the pain; but it was far from answering my end, for they almost all fell into very great faintings.* Eandemque sententiam Cl. Warren † magis adhuc confirmat.

59. Post Venæsectionem, si ea opus fuerit, urgente dolore Anodyna statim dare suadeo, et horum omnium consensu palmam præripit *opium:* (Miseris reverâ *Deorum* donum!) Sed novæ accedunt controversiæ. Dum multi *opio* tribuunt virtutes multas, fortasse et etiam imaginarias, alii id condemnant, quia alvi stipationi faveat, eamque intendat. Rem verò videamus accuratiùs, et fortasse pyrrhonismus hujusmodi omnino evanescat. *Opium* dolores efficaciter levat,

* Huxh. on the Devonsh. Colic, p. 33.

† Warren de Col. Picton.

ingesta in stomacho quiescere facit, vique antispasmodicâ, de quâ postea dicendum est, multùm pollet. Quid tum? Videtur reverà *opium*, et etiam in hoc stadio, efficacissimum posse esse remedium, et purgantium medicamentorum actionem favere quoque posse tantùm, quantùm ea in stomacho quiescere facit. Quia quæso quomodo operari medicamenta possint, si in ventriculum, non dicam in intestina, vix ingressa (12) statim rejecta fuerint? Igitur imprimis, ut probè observat Ill. Chalmerus, quo fortasse nullus datur sagacior medicus, opiatis nervorum irritabilitas est compescenda, et sic dolores moderandi, tunc temporis purgantia medicamina sint adhibenda, neque torminibus exhauritur æger, et ut inquit Cl. auctor "*Then the patient may be purged as easily, as in any other disorder* *." Nihil verò per *theoriam* solùm in arte medicâ probandum est, parumque tantùm est philosophandum. Nam ipse Celsus † jam meritò animadverterat; *morbos autem, non eloquentia, sed remediis curari, quæ siquis elinguis usu discreta bene norit, hunc aliquando majorem medicum futurum, quam si sine usu linguam suam excoluerit.* Videamus igitur pueri De Rueffi filii

* Chal. Dis. of South Carolina, lb. 2. p. 39, lin. 26, 27.
† Lb. i. p. 8.

historiam, quam nobis tradit De Haen* . " De
" Rueff. Eminentissimi Cardinalis Archiepiscopi
" et Principis *Passaviensis* Archiater casum filii
" sui mecum communicavit, quem ileus † adeò
" corripuerat, ut quavis artis opera incassum
" adhibita jam et stercora evomeret, et enemata
" ipsa gustu ipso optimus parens vomitu ejectam
" percepit muriam salis communis, quæ enema-
" te injecta fuerat, ut et electuarium Diacatholi-
" con et alia. Saporem horum puer hora ante-
" quam evomeret ex eructationibus jam con-
" questus in ore erat. Iniquam et desperatam
" pueri sortem parens miseratus. Mixt. Aq.
" Menthæ, Spiritus ejusdem, et largiore Laudan.
" Liquid. Syd. dosi constantem dedit, ut saltem
" cum minori miseria periret. Triplex fere opii
" dosis erat ratione ætatis. Sed en! ex inopi-
" nato vomitus cessant, cessant dolores, et blanda
" sine somno obtinet animi tranquillitas. Eoque
" modo quartus morbi dies tranquillè transigi-
" tur. Sequitur nox molesta, leviore dolore
" citra vomitum ingruente turbata, flatus deor-
" sum petunt, sequitur portio enematum, ipsæ-
" que tandem fæces. Brevi post appetitus,

* Vid. De Haen. edit. 1760, p. 94, 95. part. 3.

† Ileus tantùm gradu à Colicâ differre censemus.

" somnus, integrèque restituta salus adsunt." Et ait Ill. auctor, " Forsitan solum opium da-" tum efficit, ut, nimia nervorum constrictione " soluta, restituta vis peristaltica alvum commo-" dè moveat." Alia exempla hic inserere potuissem, ni supervacaneum esse existimarem. Chalmerus * ipse historiam hominis tradit, quem feliciter sanaverat more suo solito, vomitionem bilis ope aquæ tepidæ ciendo, tunc *opii* dosin dando, et postea laxativa. Neque in hoc casu videtur *opium* medicamenti, quamvis lenis laxativi, magnesiæ scilicet, actionem impedire. Minimè autem mihi in animo est contendere *opium* alvi stipationi nunquam non favere, tantùm probare volo dari posse opiata, semperque esse danda et etiam in initio morbi, si intolerantia dolorum postulaverit, cùm aliter meliùs esse postponere lubenter concedo.

60. Frustra pro *opio hyoscyamum* substituere aliqui tentant medici. Jam tempore Celsi, ne dicam Dioscoridis, *hyoscyamus* pro anodyno à medicis erat præscriptus, et si tali vi anodynâ fuisset præditus, nullum foret melius remedium, quoniam *hyoscyamum* alvam efficaciter quoque ducere jam

* Chalm. lb. ii. p. 44.

accuratiori observatione satis constat. Dolendum verò est, quamvis aliqui diversâ sint opinione, *hyoscyamum* vim nullam anodynam possidere. Ab Ill. *Duncano* et *Gregorio* viris doctissimis jam acceperam *hyoscyamum* remedium anodynum esse quasi iners. Et rem tandem mecum ultra aliquam dubitationem collocant verba experientissimi *Freer*, quæ nuper audivi. "Variis "morbis *hyoscyamum* præscriptum se vidisse "(inquit vir illustrissimus), sed nullum unquam "auxilium ex eo acceptum observasse *."

61. Ad Antipasmodica nunc transeo, et ex his externa imprimis. Ex hisce tunc remediis efficacissima existimantur illa, quæ calorem corpori impertiunt, idque solvunt atque emolliunt. Imprimis igitur sunt laudanda balnea tepida, integro corpore à jugulo ad calces immerso, et hæc fieri possunt sive ex aquâ purâ, sive, ut ægris eorumque amicis magis placeat, qui plerumque decipi, quam sapere malunt, ex aquâ cum herbis emollientibus dictis, ut foliis *malvæ*, *althææ*, *absinthii* communis seu romani, *sambuci* vel *chamæmeli* floribus, &c. sive demum ex oleosis: Lac

* Prælectione sua die viii. mensis Aprilis hujus anni MDCCCVII.

ipsum, partim multâ aquâ, partim oleo, quod continet, remedium emolliens jure habetur; quàmvis verò talibus remediis ægri et multi medici magis fidant, multa experimenta de industriâ instituta, jam satis probarunt pleraque ex his multò minori vi pollere, quàm aqua pura; quin non sit omnino dissimulandum substantias istas oleosas, mucosas, vel mucilaginosas cùm humectantes, tum oleo fortasse illinientes solidas partes corporum animalium, molliores et magis flexiles reddere posse, neque per vaporationem tam citò dissipari ac aqua pura. In calidum oleum totum hominem demittere suadebat Celsus *. Si integrum corpus tepidario immergere non potuerimus, semicupio insidere imperetur æger, quod plerumque sat est, et cùm semicupio uti neque in nostrâ fuerit potestate, ad fomenta tunc confugere liceat. Fomenta vel siccâ vel humidâ formâ possunt adhiberi, siccâ formâ sunt milium, sal, arena, titiones extincti, et similia calefacta panniculis involuta partibus fovendis imposita; his verò longè præstant fomenta humidâ formâ. Crassus pannus laneus fomentatione immersus duplicatus vel quadruplicatus, sæpe in die abdomini adplicetur; hæc tunc fomenta ex eisdem

* Vid. Cels. de Re Medicâ. lb. iv. cap. xiii.

substantiis, de quibus suprà dictum, fieri possunt. Ex vino rubro fomenta laudat Citesius, et si ex vino facta fuerint, suaderem vino adjungere medullam panis, ut fiat substantia cataplasmatis instar, nimirum quia vini particulæ subtiles volatiles hoc modo tardiùs dissipentur. Non verò solùm abdomini, sed etiam extremitatibus inferioribus fomenta, ut meliùs valeant, sunt adplicanda; Et à mammis ad inguina et spinam usque cataplasmata calida imponere, et sæpe mutare; brachia cruraque perfricare imperabat Celsus *. Fomentis simile catulos reçenter natos laudat Grashuis † propter perpetuum calorem, quem abdomini impertire inquit; et omenta recentium mactatorum boum seu ovium extollunt multi; præter verò calorem opinor, hæc nullam aliam virtutem possidere, et artis medicæ fore dedecus ad talia confugere. Lateres verò calefactos plantis pedum admotos unà cum aliis auctoribus et ego suadeo.

62. Quod verò magis est mirandum non secus ac tepidum, frigidum quoque balneum suos agnoscit laudatores. Apud De Haen, Bakerium,

* Ibidem.

† Vid. Grash. de Col. Picton. tentamen, p. 45.

Septalium, Citesium et alios, Colicam aliis remediis resistentem balneo frigido curatam fuisse legimus, vel gelu ipso niveque incantamenti instar, ut aliquibus videbitur. Et ait Citesius *; "Mirabuntur magis si sciant nos etiam mediâ hyeme, tempore tamen pluvio, ægros linteis inclusos fluvio immergere coactos, plerosque sanitati restituisse, cujus rei testes omnes cives habemus." Inquitque Grashuis †. "Vidi difficillimam Colicam omnibus omnino remediis à me aliisque præstantissimis medicis adhibitis resistentem, mediâ gelidissimâ hyeme anni hujus seculi quadragesimi, sponte resolutam fuisse neque quantum scio recidivasse hactenus." Et inquit tandem Septalius ‡. "Hominem ventris dolore ad omnia rebelli fere enectum, ut algidus sudor jam adesset, nullusque ultra percipiendus pulsus, aquâ multâ, etiam nive frigefactà, sic mutavit, ut mox in somnum quatuor horarum incideret, ab eoque somno alvum copiosissimam deponeret, et integræ restitueretur sanitati." Hujus generis histora refertur in Actis Edinensibus; Sanctori-

* Vid. Cites. p. 215.

† Grash. de Col. Pict. tentam. p. 38.

‡ Septal. lb. vii. animadv. p. 248.

usque demum idem confirmat. Parum hic conveniret argumentum inire de modo, quo tot miros effectus in corpore humano lavatio frigida præstet, neque istiusmodi arcana ad rem nostram multùm expectant, sed Ill. professoris nostri *Freer* verba iterum tantùm, quantùm ex prælectionibus ejus academicis deprehendi, quas attentione illâ tanto viro dignâ audivi, hic inserere fas sit: "Balneum frigidum, (inquit Nob. professor*,) stimulum edit satis vehementem universo "corpori, genus nervosum excitat, vasa sanguinis "et cor ipsum ad validiores ciet motus unde expeditior fit sanguinis circuitus, liberior per cutem "excretio, et alia quoqué beneficia, quæ ex eo accipi credimus." Balnei frigidi verò usum in morbo nostro quod attinet, erga me hoc formabo judicium. Nempe in extremis tantùm ad id confugiam, et ægrum aquâ immersum in lectum statim, bene exsiccata cute, reponere suaderem, *opii* largiorem darem tunc dosin cùm ad quietem conciliandam, tùm ad sudores promovendos, nihil verò confidenter dicere volo priusquam experientiâ edoctus sim, quod idem Præcl. Bacon rectè monet. "Authores, (inquit) verò quod attinet, summæ pusillanimitatis

* De Therapeiâ agens.

" est, authoribus infinita tribuere, authori autem
" authorum, atque adeo omnis authoritatis, tem-
" pori, jus suum denegare. Rectè enim Veritas
" Temporis filia dicitur, non Authoritatis."

63. Ad Antispasmodica externa, quoque pertinent Rubefacientia et Vesicatoria. Experientiâ amplissimâ felicissimâque jam satis constat Vesicatoria tempestivè adhibita non solùm partes externas, sed et viscera in imis corporis penetralibus condita mirabiliter afficere, cujus notitia inter utilissima seculi elapsi reperta meritò recensenda est: porro Epispastica remotissimis temporibus fuerunt nota, et ab aliquibus laudata, ipsa emplastra ex *cantharidibus* per ducentos jam fere annos à quibusdam præsertim in febribus liberè fuerunt adhibita; autem insignes eorum vires et utilitas nuper tantùm fuerunt deprehensæ. Disputatur verò multùm quomodo hæc proficiant, et eorum tam perspicui beneficii rationem variis modis medici reddere conati sunt: non meum est inter eos componere lites, neque tale auderem; et magis reverâ ad rem nostram pertinet de re factâ et verâ scientiam habere, quàm de hujusmodi commentibus disputare; in morbo tunc nostro scire oportet, hæc operari spasmos vasorum summæ cutis solvendo, intes-

tina consensu insigni, qui cutem et intestina inter existit, laxando, et humores ab externis partibus antea pulsos ad easdem denuo revocando. Sennertus * oleum saponis, ex sapone et calce vivâ per distillationem paratum suadet; et hujus caustici guttas sex vel septem umbilico cum gossypio imponere jubet. Et inquit Ballonius, "Vidimus cuidam acerbitate doloris Colici de-"tento placatos esse dolores, adhibito umbilico "modico emplastro caustico." Apud *Asiaticos* tunc *Javanienses* et *Japones* non solùm emplastra caustica, sed et ustiones moxæ accensæ abdomini impositæ, punctiones vel acûs argenteæ aureæve in carnes adactæ in usu erant receptæ. Anticolicamque puncturam suam celebrant *Japones;* scilicet novem punctionibus pollicem distantibus figuram repræsentant quadratam; et hoc satis est congruum Hippocratis † aphorismo, *Duobus doloribus simul obortis non in eodem loco, vehementior obscurat alterum;* ad talia verò confugere cum mitiora remedia æquè faustos possunt edere effectus inhumanum foret, et rei medicæ alienum; scientia enim sanandi non nocendi est medicina: porro emplastra ex *cantharidibus* regi-

* Sennert. lb. 3. par. 2, sect. 2, cap. 2.

† Aphor. 46, sect. 2.

onibus hypogastricis imponere sufficiet, et longè est præferendum.

64 Ex internis Antispasmodicis *gummi resinæ* fœtidæ imprimis à quibusdam laudantur, et ad morbum nostrum sunt bene accommodatæ, quoniam vi quoque laxante, testante Cl. Whytt, satis polleant, ex his observatione propriâ tantum de *assâ* foetidâ dicere possum, cujus solutionem in Nosocomio *Edinburgensi* anno MDCCCV militi (sicut et aliis) è Colicâ laboranti feliciter præscriptam vidi à Celeb. Hamilton Nosocomii medico seniore; et hunc casum adhuc servo. *Ammoniacum* quoque in Colicâ efficax remedium habetur *. An verò *sagapenum* et *galbanum* in morbo nostro quoque prosint? dicant qui observaverint.

65. Ex aliis Antispasmodicis *camphora* utilitate sua in aliis morbis spasmodicis in dolore Colico, ut Duteau refert, faustum posse esse remedium non dubito, et idem de *moscho*, quem in morbo nostro exhibere suadet Hillarius. *Chamomilla* tunc vulgaris et romana, ut blanda ant spasmodica et diaphoretica, à multis habentur. Infusum ejus

* Vid. Edin. New Dispensat. edit. 1806, p. 149.

Baglivus* in Colica tantùm fecit ut dicere non dubitet; *Antidotum Colicæ est Chamomilla à quacumque demum causa oriatur.* Totius verò cohortis antispasmodicæ et hypnoticæ *opium* est princeps, ad quod omnes confugiunt, quod omnes exaltant. Et solùm opiatis aliquando tota medela est instituenda. Cujus exemplum invenimus in casu illo memorando de viro quodam nobili Barone *Annesly*, quem Castello de *Belvoir* Ill. Sydenhamus † viserat, scilicet si ante alvus jam bene fuerit soluta.

66. *Æther sulphuricus* seu *vitriolicus* spasmos potenter compescit, et in Colica liquorem suum anodynum multùm laudat Hoffmannus, qui hujusmodi est compositio, hodieque liquor æthereus *oleosus* ‡ dictus. In quadrupedibus tunc (dicere fortasse mereatur,) Colica adfectis spiritum *æthereum vitriolicum* quoque extolit Dom. Razier. §

* Vid. Bagliv lb. i. Prax. Medic. c. de Colica, sect. i.

† Sydenh. Oper. univ. p. 211, ed. MDCCXLI. Lugduni.

‡ Dub. Pharmacop.

§ Journ. de Physiq. an. 1784, par. i. p. 401. Vid. quoque Lettre du Marquis de Saint Vicent, sur l'usage donné de l'ether vitriolique aux chevaux et aux bêtes à cornes attaqués de coliques violentes. Journ. Encyclop. du mois de Juillet 1783, tom. 5, part i. p. 156.

67. Ordine ad tertiam indicationem sive ad remedia, quæ alvum solvunt, venio. Remotioribus seculis recepta erat opinio, ut alvus tantùm foret ducenda, si supra umbilicum morbus fuisset situs; unde Erasistratus, Celsus et alii abdomen primum intuere imperabant ad observandum morbi locum, vel duas manus super summum ventrem imponere, gradatimque premere; morbi situ tunc invento, deliberare ducenda necne fuisset alvus? Novimus verò nunc, quod et olim jam fuit notum, nihil ad morbum sanandum tantùm conferre, quàm alvi tempestiva ductio, sive supra, sive infra, sive ad latera morbus sit situs. Ad hunc finem tunc auctores plerique Eccoprotica seu mitiora laxativa tantum laudant. Et ex his *mannam* pulpamve *cassiæ* cum *amygdàlarum* dulcium oleo nupta, ex seroque lactis sumpta annuunt Gesnerus, Spigelius, Sennertus, Fabricius ab Aqua Pendente, et alii; Citesius ipse inquit se fortiora incautè adhibere Cholagoga, sed ad mitiora confugisse, et cum ægrorum maximo levamine. Neque desunt qui judicent, substantiis tantùm oleosis, et lubricantibus, vel emollientibus, alvum solvendam esse, totamque medelam instituendam, præsertim cum à veneno plumbi orta fuerit Colica. Medici Parisienses contra cathartica fortiora seu drastica

suadent, et Du Bois ea non solùm extollit, sed oleosa tunc condemnat, uti pessima, morbumque augentia.

68. Auctorum unam alteramque sententiam amplector, utramque laudo, hâc tantùm differentiâ factâ, ut drastica dare Cathartica in initio morbi periculo non carere fatear, et cum his nunquam incipiendum esse existimem; si datis verò Eccoproticis alvus non responderit, si necessitas urserit, cur fortiora non dentur Cathartica? Post longam observationem in Nosocomio Charitatis *Parisiensi* cum summo beneficio ea fuisse exhibita nobis suadent medici omni fide dignissimi. Et quid dicant Eccoproticorum adulatores, si legant remotissimis etiam temporibus apud ipsos *Græcos* cùm medicinam facientes adeo timidi erant, in Colicâ Aloen, Scammonium, et Euphorbium dare Paulum Æginetam*? Cum verò à mitioribus incipere suadeo, de his primò dicam, et ab Enematis exordiar.

69. Nunquam in diuturna alvi duritia negligendæ sunt idoneæ lotiones seu clysteres, quæ al-

* P. Ægin. de Re Medica, lb. 3, c. 43, p. 75, Guint. And. interprete.

vum aliquando faciliùs, certiùs, et mitiùs ducunt, quàm medicamenta per os hausta, scilicet stimulum satis validum præbent intestino crasso, præsertim recto, ut alvi decidendæ cupiditatem inducant, et eodem tempore duriores fæces molliunt et diluunt, viasque, per quas excerni debent madefaciunt, et quasi inungunt, unde faciliùs fiunt dejectiones. Tempore Asclepiadis* clysteres in usu jam erant recepti, quamvis multa fuisset religio in his adhibendis, scilicet pridie ægrum abstinere imperabant medici, et eodem die ante aliquot horas aquam calidam liberè bibere, &c. præsenti verò praxi talia mysteria sunt prorsus et meritò oblivioni tradita. Fieri tunc possunt lotiones ex aqua tepida, vel ex oleosis, veluti oleo *olivarum* seu *oleæ Europeæ*, vel *napi* sylvestris; vel ex decoctis emollientibus, veluti ex *althæa*, *symphito*, *malva*, *fæno* græco, *sambuco*, &c. cum verò acriore stimulo opus fuerit, hisce adjiciatur pauxillum salis *marini* seu *muriatis sodæ*, puta ʒ. v. vel ℥. i. vel alii ex salibus *neutris* adjici possunt, hunc verò laudat Ill. *Cullenus*. Sales verò *neutri* aliquando rectum adeo citò irritant, ut vix ac injecta fuerint enemata, statim ejiciantur, priusquam desideratos edant

* Vid. Corn. Cels. de Re Medica, lb. ii. cap. xi.

effectus; tunc horum vice addatur *sennæ* infusum, et omnia fere Cathartica ad hunc finem adhibere possumus, prout leniore aut acriore stimulo opus fuerit. Enema, quod sæpe cum summo beneficio vidi adhibitum; ex aqua tepida constabat, oleo *olivarum*, sale *marino*, et melle, hoc igitur præcipuè laudabo. Ex vino *antimoniali* et præsertim ex *terebinthinâ* seu resinâ *pini laricis* vitello ovi rectè subactâ enemata suadet experientissimus *Cullenus*, sicut et Cl. Dolæus ex essentia *castorei*. Nicotianæ fumum ope idonei follis clysteris modo adhibitum Boylius primus fuisse videtur, qui in philosophiâ sua experimentali commendavit, cujus efficaciam postea testati sunt Hoffmannus, Gaubius, De Haen et quamplurimi alii; sua verò, neque sanè levia, habet incommoda, et in morbo nostro ambiguum mihi videtur remedium, ingratam scilicet nauseam et vehementem vomitum cum validis nixibus aliquando producit, et si ejus stimulo alvus non responderit, aër in intestinis occlusus calore fumi magis rarefactus morbum non augere non poterit. Tantum tunc de clysteribus, hos vero dimittere liceat, et ad Purgantia ore sumenda transeam, a mitioribus seu Eccoproticis incipiens, ut melior fiat sermonis ordo.

70. Imprimis igitur observandum est multos ex fructibus esculentis ad ciendam alvum nonnihil valere. Ex *prunis* recentibus magnâ copiâ comestis quosdam fuisse solutos, antea vel fortioribus Catharticis resistentes, testatur Grashuis; deque *uvis* idem apud Schenkium legitur. Hujusmodi verò exemplis quamvis fortasse veris non nimis fidendum est. Enim quòd talia in re medicâ miracula suspicione quâdam raró careant, et magis naturæ viribus, seu ægri redeunti sanitati tribuendum est, quam *uvis* et *prunis* comestis. Certè nemo mente sanus talibus historiis, utcumque decantatæ fuerint, ita confidet, ut *uvas*, *prunos*, vel similia pro remedio ægro præscribat, remediaque efficaciora spernat. Hujusmodi remedia sunt quoque multa oleosa blanda et mitia, ut oleum *amygdalarum* dulcium, vel *lini* sine igne paratum, aut jus ipsum pingue, et lac ebutyratum, quæ hauriri possunt cum syrupo mixta vel edulcata. Apud Citesium refert P. Milo matronam curatam fuisse è Colicâ solo butyro et oleo diu adhibitis, postquam omnia remediorum auxilia frustra tentata fuerant. Inquitque Tissot se eodem modo tres ægros è morte cripuisse. Ex oleosis verò omnibus procul dubio palmam præripit oleum *ricini*, quod non solùm ad vias lubricandas valeat, sed et vi propriâ lax-

ativâ sit prædituṃ; sunt verò qui olei omne genus nauseantes respuunt, multòque præsertim in *Caledoniâ* nostrâ, iis autem haud ægrè conciliandum erit, si addatur spiritûs *myrti pimentæ*, tincturæ *sennæ* compositæ vel *rhei palmati*, pauxillum, vel oleum dando forma emulsionis, oleum scilicet cum aqua probè miscendo ope sacchari, gummi, seu ovi vitelli, quoniam semper in votis sit medicamenta gustui accommodare quam gratissima, quòd aliter ea fiunt nauseosa vomitionemque certiùs cient. Post oleosa accedunt salina, ex his crystallos *tartari* seu *supertartritem potassæ* laudat Nob. *Cullenus:* salem verò *catharticum amarum* seu *sulphatem magnesiæ* apprimè suadet Cl. Heberden, et à descriptione quorundam auctorum credendum foret hunc salem non solùm alvum efficacissimè ducere, sed et dolores vi quadam peculiari potenter pacare, sal verò *Glauberi* seu *sulphas sodæ*, et sal polychrestus *Rupellensis* seu *tartris sodæ et potassæ* sunt hujus generis remedia quoque satis efficacia. Si hæc desideratos non ediderint effectus, ad potentiora tunc Cathartica confugiamus, qualia sunt *jalapa*, *senna*, *rheum*, *calomelas* seu *submurias hydrargyri*, et *aloe*, vel *scammonia;* non verò suaderem acriora adhuc dare Cathartica, quoniam si jam dicta alvum non duxerint, acriora quoque dare

in morbo nostro periculo non careat: ex jam enumeratis verò medicamentis variæ conjunctiones plus solent valere, quàm eadem separatim adhibita, quamvis minimè verò velim laudare tales compositiones, quibus per aliquot secula usi sunt medici, quæ numero simplicium, ex quibus constant, non immeritò ridicula videntur, sed exempli gratia sales *neutri* cum *senna* juncti aliquando multò efficaciùs alvum ducunt, quàm alterutrum solum efficeret, cujus compositionis erit exemplum infusum *sennæ tartarisatum* pharmacopœiæ *Londinensis*, seu infusum *cassiæ sennæ* pharmacopœiæ Nosocomii *Edinburgensis**, et idem dicendum est de conjunctione *submuriatis hydrargyri* cum *jalapa*, veluti in bolo *jalapæ* composito Pharmacop. Nosoc. *Edinb.* et sic de cæteris. Medici igitur solertis erit pro ingenii sui acumine non solùm idonea remedia seligere, sed et eadem sagaciter componere, et sic his novas quasi addere vires. Neque hic prætereundum est multos ægros jam pene desperatos fuisse solutos ab aqua tantùm frigida in extremitatibus inferioribus aspersa, sunt enim qui si pavimento frigido aliquandiu institerint, vel si

* Compos. sunt eodem modo confectæ. Nulla verò hujusmodi compos. datur Pharmac. Ed.

madefactos vel alioqui frigidos pedes habuerint, his statim fluat alvus; quando verò ad tam asperum remedium sit confugiendum? dicant peritiores. Post Catharticum, Anodynum iterum dare suaderem, quod medicamenti agitationem componat, somnum ægro conciliet, viresque tandem aliquantùm exhaustas reficiat.

71. A primis denique temporibus ad intestinorum induratas fæces deorsum propellendas in usu fuit compressionem seu dilatationem adhibere mechanicam. Plumbeos, stanneos, vel etiam argenteos, et aureos globulos ægris præscribebant medici, et exinde statim ambulare, cursitare, vel in dolium aquâ tepidâ plenum mittendos. Et confidenter inquit Helmontius*. *Quapropter deinceps nëminem volvulo perire sivi. Potandos nimirum dedi aliquot globulos plumbeos musquetarum, ut suo solo pondere durum istud excrementum propellant.* Ad eundem finem quoque hydrargyro forma sua pura et fluida usi sunt medici majore quantitate, ad lb. i. usque vel amplius epoto. Quantùmque de hydrargyro quoque non existimavit Ill. Doverus? Nempe qui adseveravit diei spatio *Reginam Carolinam*, quæ è Colicis

* V. Helmont. de Flatibus, p. 339.

periit doloribus, convalituram si ei mercurius hac forma fuisset datus. Ex medelis hoc modo institutis exempla quoque apud Riverium, Silvium, Hoffmannum, et quamplurimos alios leguntur. Quàm lubrico verò fundamento talis nititur theoria? An rectus est intestinalis tubus? In canali tùnc adeo flexuoso quàm ægrè per sinuosa volumina movendum est indivisum metallum? Et ad imam partem alicujus intestini cum venerit, ibi residere ac pondus fere iners necesse est, intestinorum situ bene intellecto; sed amplius à cadaverum inspectione apparet mercurium, qui ex hisce medicamentis, si ita dici possunt, efficacior creditur, semper in globulos dispergi; unde vis ejus gravantis major pars perit. Et dari non possit, ut aliter explanemus, quomodo hydrargyrus in exemplis aliquibus tam multùm decantatis profuit? Hoc metallo naturâ suà quàmvis inerte post idoneam præparationem nullum datur efficacius remedium. Per trituram sic cum oleosis aut mucosis globuli sui extincti, aut per idonea acida et alkalina in formam salis redacti, insignes et fere incredibiles adipiscuntur vires. Fieri tunc non possit ut in ventriculo et intestinis muco et cibis oppletis, continuoque motui expositis mercurii portio aliqua trituretur? Et cùm in ventriculo et intestinis

materia acida semper adest, mercurium ad combinationem jam paratum in formam salis non poterit hoc modo redigi? Et fortasse hoc aliquantum confirmet, quod nobis tradit Ill. De Haen *: Æger è Colica laborans hydrargyri sumpserat ℥ vii. *post triduum* (inquit) *spontanea alvus, cum plurima veluti corrosi ac nigricantis mercurii parte.* Unde colligendum est mercurium corrosivum fuisse redditum, et sic, ut nobis placet, intestina stimulasse, et ad dejectionem tunc excitasse. Sit autem quid sit, fatendum tamen est, ex talibus remediis parvum auxilium esse expectandum, neque (crede mihi Ill. *Dovere!*) si hydragyrum *Regina* sumpsisset, adeo citò convaluisset. Vetus erat quamvis inconsultum quoque remedium aëre ope idonei follis intestina dilatare. Ex hisce verò remediis mechanicis efficacius et rationi magis consentaneum est illud ab Ingeniosissimo De Haen primùm per experimenta comprobatum (34). Tantum quidem aquæ pleniore rivo per idoneum siphonem injicere, ut plenius intestinum bene impleatur; ægrum quendam suum inquit Ill. auctor, qui per octodecim dierum spatium aliis remediis restiterat, hoc modo solutum fuisse; prælectionibusque suis academicis mihi constat Cl. *Cullenum*

* De Haen. vol. iii. p. 380.

Edinburgensis civis historiam tradidisse, qui eodem statu eodemque modo fuisset sanatus; aquam ad lb. viii. usque ægro injectam fuisse dixit experientissimus Professor. Ad ultimam nunc transirem indicationem, sive ad remedia Tonica et Stimulantia; hoc loco verò de remediis Vomitoriis aliquantisper quoque disserere volo.

72. Emetica Sennerto, Riverio, Puerario, Junkerio, Pisoni, Baglivio, Boerhaavio, et quamplurimis aliis, ut fidem facit De Haen, vel non indicata, vel ab iis rejecta fuerunt. Citesius ipse in appendice tantùm de his mentionem facit; medici verò alii non minus illustres hujus morbi vomitionem adeo fidelem comitem observantes, naturæ imitatores eandem arte promovere curarunt. Huxhamus, Chalmerus et alii Emeticis morbi incipiebant medelam, et Du Bois tunc, laudator fortiorum medicamentorum reverâ insignis (67) non solùm Emetica laudat, sed et ex his validiora, præsertim Mochlicon * suum,

* Mochl. ex vitro stibii cum sacchari portione duplice minutissimè tritis erat confectum, et aqua Naphæ irrorata hæc in tabellas seu pastilivos erant fingenda. Dosis à ℈ i. ad ℈ ii. Vid. in Hal. Disputation. morb. vol. 3, Dissert. Du Bois, p. 281, &c.

quod se commendare fatetur tantùm, quòd validum satis sit. Et post interitum juvenis pictoris *Andergavensis*, qui ut penicillum extergeret, in os eum solebat ferre, et sic sibimet venenum ministrabat, honestus Fernelius secum ratiocinatus erat miserum pictorem non tantùm purgationibus, sed contrario antidoto esse curandum. Ei verò exclamat Du Bois, *antidotus erat Mochlicon, quo si usus esses, tuus pictor non fuisset mortuus.* Et paulo inferiùs inquit, " an balistis, arietibus, " aliisque tormentis armatum Mochlicon est? " An vomitio pugiones, aut gladios, an tela aut " hastas, an clavos aut secures teneris partibus " infligit? Minimè, sed ita commovet ut mus- " culi musculis, vasa vasis, fibræ fibris, nervi " nervis pro singulorum potentia et mollitudine " agitentur, premantur, quatiantur!" Du Bois auctoritas erga me multùm valet, hoc verò loco ejus redundantiam verborum magis miror, quàm doctrinam, quòd neque experientia, neque theoria eam confirmet.

73. Si recens fuerit morbus, neque de accumulatione induratarum fæcium in intestinis fuerit suspicio, si de ventriculo æger laborare videatur, veluti si cibi corrupti onere, vel redundante bile oppressus fuerit, tunc Emetica suaderem præberemque. Si vetustior autem fuerit

morbus, si diu adstricta fuerit alvus, et sic fæcibus accumulatis induratis intestina fuerint distenta, in hoc morbi stadio Emetica dare, et ex his validiora! Quid boni quæso inde expectandum est? Et quàm multa mala ex validis eorum nixibus provenire non poterint? Inflammationem vel convulsiones oriri rarum non erit, et Cl. De Haen tunc mortem ipsam insequi posse monet.

74. Ad ciendum vomitum aquam puram tepidam dabat Ill. Chalmerus, aquæ verò tepidæ jure præferendæ sunt infusiones amaræ nauseosæ vel leniter stimulantes, uti ex *theâ* viridi, aut floribus *chamæmeli*, aut foliis *centaureæ benedictæ*, quarum sit exemplum infus. *anthemidis nobilis* Pharmacop. Nos. *Edinb.* hæ enim minori quantitate similes et efficaciores edunt effectus; unde neque ventriculus tantùm distenditur, neque læditur vi infirmante aquæ tepidæ. Ex fortioribus imprimis suaderem radicem *ipecacuanhæ*, quoniam nullum detur mitius, et simul adeo efficax remedium vomitorium, cujus vel pulvis vel vinum dari potest; præparationes *stibii* sunt quoque hujus generis efficacissima remedia, ex his in usu quotidiano præsertim sunt pulvis *antimonialis* seu oxydum *antimonii* cum *phosphate calcis*, et *tartarus emeticus* seu *tartris antimonii*, posterior

semper est præferendus priori, cujus potentia omnino pendet à statu ventriculi. Et quod aliquando melius est, *ipecacuanha* unà cum *antimonio* præscribatur, exempli gratia gr. x. vel xii. *ipecacuanhæ* et gr. i. *tartritis antimonii*, &c. Mochlicon verò Du Bois quod attinet, quo si usus esset Fernelius ad salutem pictorem *Andergavensem* mirum in modum restituisset, opinione meâ et revera omnium fere medicorum, valde incertum est remedium, nunquamque jam dictis præferendum.

75. Ad ultimam tandem indicationem ventum est, sive ad remedia Tonica et Stimulantia. Innumera dantur hujus generis remedia à frugibus et fossilibus derivata, qualia sunt astringentia, amara, et aromatica, hæc verò hic nominatim recensere supervacaneum foret, et proposito meo alienum. Ex Tonicis princeps est cortex *peruvianus*, neque mirum si consideremus hunc corticem horum remediorum dotes fere omnes conjunctas possidere. In omnibus igitur casibus medici ad hunc meritò confugiunt. Neque aliter in morbo nostro se res habent, et post morbum superatum ad vires ægro conciliandas *cinchonam* suaderem ut efficax remedium roborans, cujus dantur variæ præparationes; experientiâ verò jam

multorum annorum satis constat ejus pulverem longè aliis præstare, tantùm verò ejus usui obest nausea, quam plerumque ciet; ab hac verò aliquantùm caveri quoque potest *cinchonæ* addendo aromaticum; ex præparationibus tunc pharmaceuticis decoctio et extractum multò præstant infuso. Datur adhuc præparatio altera, quæ quamvis Pharmacopœis *Britannicis* non sit admissa, fortasse ob experimenta Parmentieri, ad diuturniorem usum accomodatissima est, quoniam sit minus nauseosa, unde *Lusitaniâ* nostra à medicis sæpe præscribitur. Infusum volo in vino, quod gratius est ægris præsertim addito aromatico, et ut per experimenta et ego nuper reperi, vinum *cinchonæ* multò melius menstruum est quam aqua pura, qua vix aliquid amaritudinis *cinchonæ* solvitur. Alia Tonica prodesse quoque posse uti *cascarilla*, *colomba*, *angustura*, infusum vel vinum *amarum*, &c. &c. non video cur dubitem, quin opinione sim *cinchonam* his longè præstare. *Alumen* ustum, extollunt multi medici, qui aiunt, hoc, si ad ℈ i. fuerit sumptum pro dosi, alvum leniter ducere, doloresque pacare, dubito verò an *alumen* fortasse prosit vi suâ tonicâ? Neque sileam *Chalybeata* remedia satis roborantia, Tonica aliquoties potentissima efficacissima. Ex Stimulantibus de vino

idem dicam ac de *cinchonâ* apud Tonica, quo nullum detur præstantius et eodem tempore adeo gratum remedium Stimulans omnibusque fere morbis satis accomodatum; hanc verò sententiam, quam aliqui in *Lusitaniâ* nostra fortàsse mirabuntur, Ill. *Gregorii* * verba probè confirmabunt. "Omne, (inquit) genus vini, sive ex uvis, sive ex pomis, sive
" ex aliis fructibus paratum, et cerevisia omnis, et
" omnis liquor fermentatus, et magis adhuc me-
" raciores illi latices, *spiritus destillati* dicti, qui
" ex talibus liquoribus per ignem eliciuntur, cor-
" pori stimulo sunt certissimo, et gratissimo, et
" sæpe saluberrimo, et satis durabili. Hoc in om-
" ni fere debilitate atque languore, sive à nimio
" labore, sive à magna exinanitione, sive à gravi
" animi affectu, sive à longa inedia, sive à longo
" morbo, sive à gravi febri malignioris generis,
" satis perspicuum est: et istiusmodi jam re-
" media (ubicumque stimulo interno et gene-
" rali opus est) á medicis multò largius præ-
" scribuntur quam olim fieri solebat, et qui-
" dem cum insigni ægrotantium commodo."
Eadem opinione est Cl. Huxhamus, et Nob. auctoris verba hic quoque inseram. *I† cannot but recommend a generous red wine as a most noble,*

* Greg. Conspect. vol. ii. p. 187—88.

† Essay on Fevers, p. 102.

natural, subastringent cordial, and perhaps art can scarce supply a better. Neque dicendum est vini utilitatem à recentioribus tantùm fuisse deprehensam; minimè! Quis enim de vino magis et etiam nostris temporibus existimat, quàm olim Asclepiades fecerat, qui inquit *, *Utilitatem vini æquari vix deorum potentia*, quid enim ultra dici possit? Dolendum verò est, ut vini usum pro remedio plerique spernant medici, inconsultè verò sine dubio, in illis regionibus tunc, ubi optima vina fere vili sunt vendibilia pretio. Quàm efficax hic sit stimulus observatione satis longa cùm in Nosocomio Regio *Edinburgensi* tum in *Glasguensi* sub viris doctissimis medicinam discens et ego affirmare potuissem. Quantaque voluptate ejus faustos effectus aliquando contemplatus sum. Et ad ampullam usque multoties ægris permitti vidi. Observandum verò est in *Britanniâ* ad hunc finem in usu esse vinum è *Porto* allatum, quod non est adeo validum et stimulans ac vina nostra generosa *Madeirensia;* vinumque ipsum *Portense*, (à vinariis plerumque reverà jam satis dilutum) cum æger debilior est, cum aquæ parte æquali mixtum dari, aquam tunc gradatim tollendo. Hac tunc ratione habita, omni genere

* Vid. Plinii Hist. Natural. edit. folio, 1723, tom. ii. p. 301.

vini uti potest sive *Clareto*, vel *Champaigne*, *Hispano*, *Rhenano*, *Lisbonensi*, *Falerno*, vel demum *Madeirensi*. Vina verò rubra astringentia è *Porto* vel insula nostra* ex uvis nigris pressa, quæ *Tinta* à colore suo apud nos† appellantur, inter efficacissima habentur.

76. Ad hunc locum quoque pertinet de victu aliquantisper dicere, quod nullum detur in hoc morbi stadio magis roborans remedium, quàm cibus bonus, idoneus, et bene concoctus. Jam primis temporibus in tres partes divisa est medicina, in διαιτητικην scilicet φαρμακευτικην et χειρουργικην, vel quæ diæta, quæ medicamentis, quæ ferro et manu mederetur; quæ partes medicinæ sunt vetustissimæ jam ante Hippocratem notæ; porro duæ priores jam ab Æsculapio excultæ et ejus duobus filiis Podalirio et Machaone, qui, ut historia refert, multum exercitui ducis Agamemnonis in bello Trojano contulerunt, et tertia eodem fere tempore proposita. Serapion verò, Apollonius, Glaucias, Heraclides Terentinus, et alii primam tantùm professi, hanc ad medicinam nihil pertinere, sed ex seipsâ disciplinam esse

* Funchali, in Madeira insula, natus est auctor.

† Lusitanos.

rationalem statuerunt, et ἐμπειρικους ex sua professione sese nominarunt. Ægris postea medicamenta danda prorsus negabat Asclepiades, quoniam idonea diæta tutius fuissent sanandi. Libro suo verò Parasceuôn inscripto (seu Præparationum) ipse Asclepiades ait ab omni medico ad singula quæque vitia binas ternasve compositiones paratas, et jam expertas habendas esse. *Quandoque verò bonus dormitat Homerus!* Magnam curam igitur illis temporibus adhibuerunt medici in cibis seligendis, qui ad varios morbos fuissent apti, nempe qui, ut jam dictum, crediderunt morbos potius esse sanandos idonea diæta, quam ope medicamentorum. Quamvis talis sententia non sit omnino falsa, pleraque verò præcepta ab antiquis in hoc capite sunt futilia, prorsus imaginaria, et à malè intellectis effectibus ex variis generibus diætæ planè provenientia. Quàm multos enim dotes res alimentarias possidere credit Ill. Celsus? Postquam enim de cibis et potionibus aut valentis, aut mediæ, aut imbecillæ materiæ verba fecerat, cap. suo xviii. ait; "Neque hæc sola discrimina sunt; sed "etiam aliæ res boni succi, aliæ mali sunt; "aliæ lenes, aliæ acres: aliæ crassiorem pitui"tam in nobis faciunt, aliæ tenuiorem: aliæ ido-

"neæ sunt stomacho, aliæ alienæ, itemque aliæ
"inflant, aliæ ab hoc absunt, aliæ calefaciunt,
"aliæ refrigerant, aliæ facilè in stomacho aces-
"cunt, aliæ non facile intus corrumpuntur, aliæ
"movent alvum, aliæ supprimunt, aliæ citant
"urinam, aliæ tardant, quædam somnum mo-
"vent, quædam sensus excitant. Quæ omnia
"ideo noscenda sunt, quoniam aliud aliter, vel
"corpori, vel valētudini convenit." Et postea catalogum satis longum de rebus, quas hasce possidere virtutes ait, adjungit Ill. auctor, quem lector ad arbitrium poterit consulere*.

77. In hoc loco tantùm dicere oportet, tales cibos esse seligendos, qui ad alendum corpus sint apti, quin neque concoctu sint difficiles, vel ventriculum gravent, aut aliter malè afficiant. Carnes sunt modicè sumendæ, et simpliciter elixæ, jurulentæ, vel assæ, et unius generis, quoniam nihil magis noceat ægris, quàm varietas alimentorum condimentis corrupta. Diæta ex frugibus ab infirmo ventriculo faciliùs concoquitur, hinc ratio, magnâ saltem ex parte, cur diæta vegetabilis plerumque in morbis præscribitur: hoc verò morbi stadio diæta modica ex carnibus

* Cornel. Celsus de Re Medica. lb. ii. cap. xviii.

non solùm non nocet, sed prodest. Si pauxillum quoque piscis appetat æger, pisces teneri, quibus carnes sunt albæ permitti possint, quoniam in hoc genere piscium caro est satis levis, et facilis concoctu; hi verò simpliciter etiam elixi sunt sumendi, nunquam frixi cum oleosis vel butyraceis. Etiamsi contra condimenta tantùm prædico, observandum verò est, hæc quoque aliquamdiu fieri necessaria, quoniam aliter vel ægri cibos respuunt et nolunt sumere, vel sumptos nequeant concoquere, cibi tunc conditi, qui gratum stimulum præbendo viscera digestionis suaviter stimulant, permittendi sint, et hac ratione condimenta aliqua cibos solutu faciliores reddunt, hoc verò memoria semper teneri oportet, ut his æger utatur modicè, nec contraria et dissociabilia misceantur. Cyathus meri post cibos hac quoque ratione multùm prodest. Et cum his observationibus de victu concludam quidquid de ratione morbum medendi dicere statuo. Autem cùm morbus fiat facillimè recidivus operæ pretium judico de ejus prophylaxi, quamvis breviter adhuc verba facere.

PROPHYLAXIS.

78. Ut à morbo tam atroci caveatur, omnem curam jure meretur. Hoc tunc efficiendum est à consideratione causarum morbi, ægro monendo ut prædisponentes, quantum possit, corrigat, excitantesque omnino evitet. In prædisponentibus vitam posuimus sedentariam, et debilitatem intestinorum (39 & 40.) quomodo tunc hæc sint corrigenda hic demonstrabimus.

79. Priori, seu vitæ sedentariæ occurrendum est idoneâ exercitatione, quæ cùm ad multos morbos sanandos tùm ad sanitatem tuendam omni digna est laude. Porro crebra et modica exercitatione musculi imprimis bene firmantur, roborantur, sanguinis tunc motus leniter expeditur; cerebrum ipsum et nervi stimulum accipiunt saluberrimum; levis et libera per cutem exhalatio promovetur; consensuque illo insigni, qui inter partes externas cutis et ventriculum intercedit*, appetitus conciliatur; cibi sumpti

* Vid. Cul. First Lines, vol. i. p. 59, et vol. ii. p. 136, edit. 1803.

bene concoquuntur; et excretiones demum omnes expediuntur, promoventur. Generalis exercitatio esse debet, qua plurimi moveantur musculi citra verò fatigationem, unde igitur ambulatio aliis omnibus longè præstat. Sub pleno Jove per campos in aëre puro sicco ambulando se quotidie exerceatur æger. Hæc tunc quasi ridicula præcepta de ambulatione dat etiam numquam non venerandus Celsus*. "Melior autem "est sub dio, quam in porticu; melior, si caput "patitur, in sole, quam in umbra; melior in umbra, quam parietes aut viridaria efficiunt, quam "quæ tecto subest; melior recta, quam flexuosa." Si mitior exercitatio in votis fuerit, tunc pro exercitatione gestatione utendum est; et præsertim equitatione, quæ tùm actione sua quamvis levi adeo variata, ut omnes fere musculi bene et gratè exerceantur, tum stimulo quem impertit intestinis, hos bene movendo, agitando, roborando, in morbo nostro efficacissima habetur, uti Cl. Sydenhamus† testatur, cujus verba sunt. *Nec pudet fateri, me dicto exercitio in partes adscito morbum hunc, cui alio quovis modò devincendo par non fui, plus semel penitus expulisse.*

* Lib. i. cap. ii.

† Sydenh. op. univ. p. 211—12. edit. MDCCXLI.

Sententiamque suam egregiè illustrat casu pauperis cujusdam sibi vicini, qui Colicâ vehementissimâ omnibus remediis resistente afficiebatur. "Ego (inquit vir humanissimus) hominis misertus, et gravi morbo, et re angusta afflictissimi, equum ex meis commodabam, quo iter dicto jam modo peragendum aggrederetur; eoque ad dies pauculos continuato, viscera eas vires recepere, ut morbi reliquiis excutiendis paria jam essent, et sine Anodynorum præsidio omnino convalesceret." Et eâdem opinione sunt quamplurimi alii*. Neque corpori tantùm concilianda est exercitatio idonea, sed et animo solitum suum stimulum hilaritas scilicet, gaudium, &c. præsertim hypocondriacis (41.) Nam ut pulchrè inquit Ill. *Gregorius*†. "Non verbis opus est, ut quisque qui naturam humanam vel minimè intellexerit, probè perspiciat, exercitationem quamlibet, puta ambulationem quotidianam, aut longum iter, longè aliter homini esse profuturam, quem venatûs amor, aut herbarum studium, ducit per campos, et montes, et sylvas, et littora, indefessum à

* Tronchinus, Grashuis, De Haen, Huxhamus, Chalmerus, &c. &c.

† Greg. Consp. vol. ii. p. 139—40.

" mane ad vesperem usque, et quem pulchra " naturæ facies, et mirabilis ordo, delectat atque " exhilarat, ac tristi et misero ægrotanti, cui " nihil aliud coram oculis aut in animo versa- " tur, quam morbus quo laborat, et periculum " et mors quæ credit sibi instare."

80. Quòmodo posteriori seu debilitati sit occurrendum ex jam dictis facilè intelligetur, quibus verò adjungendus est balnei frigidi usus tunc omissus, quòd non fuisset satis idoneus aut indicatus. Hoc concilio ad corpus scilicet roborandum jam à medicis liberè præscribitur in gelidam piscinam ægrum quotidie descendere, cujus fausti effectus jam adeo sunt noti, ut hîc lectoris benevoli patientiâ non abutar in his repetendis, et ratio jam alibi (62.) tradita fuit. Lavationem frigidam in aquâ marinâ efficaciorem adhuc esse, stimulum scilicet præbendo validiorem multo sale, quem solutum habet, multi credunt, quorùm opinioni et ego annuo. Neque nimis intensum tunc frigus esse debet, neque in balneo æger diu manere, sin minus corpus potiùs infirmetur, quàm roboretur.

81. De excitantibus non adeo fusè hic agendum est; quomodo enim hæ sint evitandæ, vix

dicere meretur, easque evitare ægroti non medici est. A frigore, præsertim flante Boreâ (48) cavendum est, temporeque verno corpus panno laneo induere juvabit. Cibi (44) modicè sunt sumendi, ne ventriculus gravetur, et cibos sic adhuc crudos intestinis tradat, ibi nova movenda bella. Legumina (45), dulcia, opima, et quidquid inflare consuevit, salsamenta, acida acerba, &c. sunt evitanda. Diætâ quoque utendùm est aliquantùm laxante, quoniam nihil magis attentionem meretur, quàm status alvi. Cibi spatio unius diei per corpus transire debent, sunt autem qui alvum vix ter quaterve in mense evacuaverint, alioquin sanissimi, igitur habitum corporis, in judicio de hac re formando, memoriâ semper teneri oportet. Animi demum pathemata, quæ concoctionem magnopere lædunt, et stimulo suo in genere nervoso (ut ostendere (47) jam conatus fui) morbum excitare possunt, sunt omni cura compescenda, imprimis vehemens iracundia, ex quâ et lethalis in morbum lapsus aliquando fit. Cujus en memorabile exemplum! se hominem novisse (inquit Ill. Swan *) qui numquam furore fuisset raptus, quin eodem tempore citiùs tardiùsve è colicis laborasset doloribus; et sic triste dictu occasione quadam in-

* Vid. Sydenh. Works by Wal. vol. I. p. 276, in the note.

tra paucas horas furori suo miser rabidus succubuit victima!

82. Argumento meo finem tandem imponam. Nequeo verò argumentum ex toto dimittere, quin Universitatis hujus *Glasguensis* vetustissimæ nobilissimæ, necnon Universitatis illius celeberrimæ, quæ *Edinburgi* est, Professoribus meritissimis scientiarum artiumque amantissimis ex animo grates persolvem, ex quorum prælectionibus ad erudiendum adeo accommodatissimis multa in re medica utilissima deprehenderim, aliter fortasse à me nunquam deprehendenda. Valete colendissimi atque amantissimi præceptores ab eo, qui nomen memoriamque vestram in æternum colere norit!

FINIS.